De Sophistis Graeciae Praeceptoribus

C. P. Gunning

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

DE SOPHISTIS GRAECIAE PRAECEPTORIBUS

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE SOPHISTIS GRAECIAE PRAECEPTORIBUS

QUAM ANNUENTE SUMMO NUMINE EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI ALBERTI BRUINING, THEOL. DOCT. IN FACULTATE THEOL. PROF. ORD., AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU ET NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM HUMANIORUM ET PHILOSOPHIAE THEORETICAE DECRETO PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN UNIVERSITATE AMSTELODAMENSI RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICO EXAMINI SUBMITTET

CHRISTIANUS PETRUS GUNNING

RHENO-TRAJECTINUS,

DIE VII M. IULII A. MCMXV HORA III P.M.
IN AULA UNIVERSITATIS.

AMSTELODAMI
APUD A. H. KRUYT
MCMXV

AVIAE VENERABILI,

διссῶν, παιδείας καὶ φιλίας ἕνεκα.

Haud leviter mihi commovetur animus cum iam in eo sim ut, studiis meis Academicis absolutis, Almam quae diu me nutruit Matrem relinquam.

Breve et irreparabile studiorum quoque Academicorum est tempus. Quod queri huius loci non est. Sed licet decetque — quod ex animi sententia me facere utinam appareat — gratias hic palam agere omnibus, quorum institutione, consiliis, humanitate in Universitatibus Amstelodamensi, Gottingensi, Heidelbergensi, frui mihi contigit. Quibus hoc persuasum sit semper grato animo me recordaturum quanto opere studiis meis faverint, quam propensam semper in me voluntatem mihi ostenderint. Quorum in numero Te, clarissime KUIPER, nominatim appello, qui unus per omnes hosce annos tironem me eximia Tua doctrina institueris, amore linguae Graecae imbueris, studia mea incendere numquam desieris. Quam ob rem gratias Tibi maximas a me deberi lubentissime profiteor.

Tibi, clarissime BOISSEVAIN, promotor aestumatissime, pro benevolentia curaque quam in hoc opusculo scribendo mihi praestitisti, pro institutione qua nimis breve per tempus uti mihi licuit, pro comitate qua semper me prosecutus es, quae quantaque debeam numquam obliviscar. Omnes vires intendam ne umquam humanitate et amicitia quam in me

contulisti indignum me praebeam. Nec postea eam frustra me invocaturum certo scio.

Semper in memoria mihi haerebunt horae quas Tecum, clarissime NESTLE, agere mihi licuit, aestate superioris anni Heilbronnae benignissime a Te exceptus. Insignis doctrinae Tuae copiis multum me adiuvasti, et ad hoc libellum conscribendum Tu, qui de sophistis optime meritus es, egregia mihi suasisti. Quod semper in lucro mihi ponam. Neve postea umquam quicquam impediat quominus favor Tuus mihi concilietur. Horrentia etiamtum quiescebant arma: iam redeat Virgo redeant Saturnia regna!

Te autem, Pater optime carissime, quanta pietate et caritate prosequar utinam ita dicere valerem ut merentur beneficia Tua, quibus plura ab amantissimo patre, maternis etiam vicibus functo, in filium redundare vix possunt. Melius igitur officio ac pietati satisfecero, si praestantissimas animi atque ingenii Tui virtutes tacite venerans non verbis nunc sed factis postea gratias debitas Tibi referam. At quo ardes studiorum paedagogicorum amore, eodem me iuvenem ita incendisti ut in his vitae tabernacula me positurum affirmare iam ausim. Quod hic quoque libellus Tuis natus auspiciis testatur; qui meo qualicumque studio conscriptus aequis iudicibus ne plane displiceat.

Vos denique gratus compello, sodales carissimi, quorum amicitia conciliandae virtutis rationem saepius mihi praescriptam esse optime novi. Nostrum nunc erit in vita sic versari ut eam non modo dulcem studiosis, sed etiam ad vitam emendandam frugiferam fuisse (et esse) appareat. Valete et operam muneribus fungendis felicem locate.

CONSPECTUS OPERIS.

PRAEFATIO.

In paedagogiae veteris historia materiam cum quaererem viribus meis aptam, quam modicae dissertationis finibus comprehendere possem, monuit me pater, studiorum auspex et moderator, ut quatenus sophistae arti docendi profuissent, seque Graeciae praeceptores praestitissent (sicut Melanchton Germaniae praeceptor iure vocatur), investigare conarer. Ac lubenter viam, quam ostendebat pater, ingressus est filius. Supervacaneum et inutilem esse hunc laborem ego quidem negaverim. Nam quamquam innumerabiles paene videntur libri [1]), quibus et priorum temporum et nostrae aetatis viri docti de sophistarum doctrina atque omnino de eorum indole ac virtute in omnes fere partes accuratissime inquisiverunt, hanc tamen causam, quam hoc libello tractaturus sum, nemo adhuc, quantum scio, ita quidem, ut mihi propositum est, diligentius investigavit. Ἀλλ' ὄντως θαυμαστὸς ἀνὴρ (ὁ σοφιστής) καὶ κατιδεῖν παγχάλεπος [2]). Quot iam homines, qui de sophistis quid iudicandum esset disputaverunt, sic exclamaverunt. Δυσθή-

Huius libelli ratio.

1) Conspectum commentationum hac de re scriptarum optimum attulerunt: Fr. Lortzing *Bericht über die Literatur zur älteren Griechischen Sophistik* (1876—1911) in „*Jahresberichte über die Fortschritte der klass. Altert. Wiss.*" CLXIII (1913) p. 84—336 et CLXIV (1914) p. 1—158; Ueberweg-Heinze-Praechter *Grundriss der Geschichte der Philosophie des Altertums*[10] (1909) p. 37* sqq.; W. Nestle in ed. Platonis *Protagorae* (Cron-Deuschle[6] 1910) p. 43—45. Addenda sunt: H. Gomperz *Sophistik und Rhetorik* (1912); H. Maier *Socrates* (1913); O. v. d. Pfordten *Die Grundurteile der Philosophen* (1913) I p. 101 sqq.; J. Beloch *Gr. Geschichte* II I^2 (1914) p. 248 sqq.; A. Busse *Socrates* (*Die grossen Erzieher* VII) (1914) p. 36—67; M. Pohlenz *Aus Platos Werdezeit* (1913).

2) Plato *Soph.* 236 D.

ρευτον sane τὸ γένος [1]. Nec tamen desperandum. Nova atque prorsus ignota eruere tironi fortasse non continget; atqui suam habebit utilitatem inquisitio. Etenim, sicut tabula picta lumine ab alia parte inmisso alium interdum praebet aspectum, sic imago sophistarum, quam ex eorum reliquiis componimus, undique illustranda est ut eam penitus cognoscamus. Etiam parva — ex quibus magna saepe intellegimus — haud neglegenda sunt. Quae cum imperitus conquirere ausus sim, audacior utinam ne videar — ἐπεὶ πολλά τοι ὀξύτερον βλεπόντων ἀμβλύτερον ὁρῶντες πρότεροι εἶδον [2].

Quaestionem igitur de sophistarum institutione pro viribus temptare placet. Sed priusquam ad ipsum propositum me convertam, ut firmum toti quaestioni substruatur fundamentum, demonstrandum erit sophistas praesertim hoc voluisse, ut artem docendi exercerent, atque testimonia huc pertinentia colligenda. Secundo autem capite quid sophistae docuerint ex antiquis scriptis [3], quantum fieri poterit, illustrare est in animo. Tertio capite quid de ratione modoque quo docuerint addiscere possimus, exponere conabimur.

De dissertatione v. d. H. Gomperz. Ne cui autem prorsus supervacanea et quasi labor Danaidum videatur primi capitis disquisitio, statim confiteor hac in re investiganda me magis magisque adductum esse, ut in primis virum doctissimum impugnarem, qui postremus sophistas separatim tractavit, Heinricum Gomperz dico [4]. Qui quamquam multa elegantissime probavit, locos obscuros explicavit, doctrinas male intellectas adumbravit, quam sibi summam quaestionis invenisse visus est [5], eam probari posse

1) Ibid. 261 A.

2) Plato *Rep.* X 596 A.

3) Qua in re fragmenta sophistarum me in primis adhibuisse apparebit. Platonis aliorumque locos eos tantum attuli, qui quod ex ipsis sophistarum scriptis hausti esse videntur, alicuius esse momenti putandi sunt.

4) H. Gomperz *Sophistik und Rhetorik* (*Das Bildungsideal des* ΕΥ ΛΕΓΕΙΝ *in seinem Verhältnis zur Philosophie des V Jahrhunderts*) 1912.

5) Vide infra p. 6 sq.

nego. Quae opinio ut refutaretur, necesse habui praemittere quae praemisi, et de sophistis in universum agens hanc praesertim quaestionem tractare, quid sibi proposuerint, cum responsum iam saepius datum collabefecerit et infregerit Heinricus Gomperz.

Cui adversario sic quoque grates debitas persolvo, quas nitidissimis verbis commendavit Aristoteles[1]: οὐ μόνον δὲ χάριν ἔχειν δίκαιον τούτοις ὧν ἄν τις κοινώσαιτο ταῖς δόξαις, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐπιπολαιοτέρως ἀποφηναμένοις· καὶ γὰρ οὗτοι συνεβάλοντό τι· τὴν γὰρ ἕξιν προήσκησαν ἡμῶν. εἰ μὲν γὰρ Τιμόθεος μὴ ἐγένετο, πολλὴν ἂν μελοποιίαν οὐκ εἴχομεν· εἰ δὲ μὴ Φρῦνις, Τιμόθεος οὐκ ἂν ἐγένετο. τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ τῶν περὶ τῆς ἀληθείας ἀποφηναμένων παρὰ μὲν [γὰρ] ἐνίων προειλήφαμέν τινας δόξας, οἱ δὲ τοῦ γενέσθαι τούτους αἴτιοι γεγόνασιν.

---

1) *Met.* A 993 b. 11.

CAPUT I.

Quid sibi proposuerint sophistae.

Man darf einen Caesar und Pompeius nicht nach ihren Erfolgen und dem Vorteil den der Fortschritt der Dinge von ihnen gehabt hat, man darf sie nur nach dem beurteilen was sie gewollt haben.

Th. Birt *Römische Karakterköpfe.*
(Einleitung.)

Πότερον οὖν σοι δοκοῦσιν οἱ ἄνθρωποι τοῦτο βούλεσθαι ὃ ἂν πράττωσιν ἑκάστοτε, ἢ ἐκεῖνο οὗ ἕνεκα πράττουσιν τοῦθ' ὃ πράττουσιν;
Plato *Gorg.* 467 C.

De sophistis in universum.

Sophistae unde originem traxerint, qui factum sit ut necessitate quadam orta exeunte saeculo V floruerint, Athenis in primis docuerint, non quaeremus. Neque necesse erit ut fusius illustremus quam quisque eventus vim habuerit: bellum Persarum feliciter confectum, libera reipublicae Atheniensium forma eaque ad democratiam vergens, ars rhetorica illis temporibus inventa et culta, commutatio cogitandi ac sentiendi, qua Periclis aetate ad rationis regulam revocata examinabantur quaecumque a maioribus accepta veteres pia mente servaverant [1]. Ad iuvenes autem erudiendos haec omnia potissimum pertinere per se apparet; nam ex quo tempore aucta populari dominatione unicuique civium Atheniensium ad summos in republica honores via

1) Conferenda sunt hac de re: Ed. Meyer *Gesch. des Altertums,* IV p. 85—272; J. Burckhardt *Gr. Kulturgeschichte*[3] (1902) IV p. 169—285; A. Busse *Sokrates* p. 17—36.

patebat, plurimi id sibi agendum putarunt, ut ad gerendam rem publicam idonei fierent atque earum rerum notitiam vel facultatem consequerentur unde aliquando in civitate clari et honorati evaderent.

Itaque exstiterunt qui data opera in literas incumberent, et mercede vel singulas vel omnes artes praecepturos se profiterentur. Qui quod sapientiam se docere dictitabant, sophistae appellati sunt.

Sic generaliter de iis statuitur. Nos, quibus sophistae quales fuerint qualesque haberi voluerint accuratius perscrutari in animo est, statim ad ipsos fontes adgrediamur, eo potissimum consilio eaque ratione, ut in primis inquiramus, quid eis fuerit commune propter quod sollemne illud nomen sophistarum acceperint.

Antea philosophis adnumerabantur.

Ex altercationibus Socratis (rectius fortasse Platonis) factum est, ut in primis pro philosophis haberentur sophistae atque in historia philosophiae commemorarentur, utque id, quod tamquam communi vinculo eos omnes complectebatur, in ipsa materia, quam tractabant, positum videretur, doctrinam dico quandam „subiectivam" et scepticam, qua omnis veritatis vis „obiectiva" tolleretur [1]. Et mehercle notum illud Shakesperii „*the evil that men do lives after them, the good is oft enterred with their bones*" [2], de sophistis vel maxime valet.

Quid deinde viri docti de iis senserint.

Nam alias vias inire studebant sophistae alias philosophi, aliaque persequi [3]. Neque tamen ista de sophistis opinio hisce diebus omnino est deposita [4]. Primus, si quid video,

---

1) Sic iam Hegel *Vorl. über die Gesch. d. Phil.* II² p. 5 sqq.; cf. Zeller *Philosophie der Griechen* I⁴ p. 1025 sqq.

2) Shakespere *Julius Caesar* Act. III Scene II.

3) Optime quid intersit inter philosophorum et sophistarum doctrinam mihi indicasse videtur W. Nestle in praefatione editionis *Protagorae* (Cron-Deuschle⁶) p. 2—5.

4) Ut monet H. Gomperz l.l. p. 281.

Vitringa. V i t r i n g a[1]) nostras indicavit proprium illud sophistarum non esse quaerendum in *materia*, quae apud alios alia esset, sed in *forma*, qua doctrinam suam aliis traderent, et in eo, quod non paucos tantum verum omnes cives disciplina sua attingere studerent[2]). De ipsa autem forma nil fere addidit, doctrinam ipsam bene distinxit in classes quattuor.

G. Grote. Novam in sophistis aestimandis viam iniit G. G r o t e[3]), rerum Graecarum scriptor celeberrimus, qui sophistarum patrocinium suscepit, eamque causam magno egit ingenii acumine magnaque doctrina. Quem secutus est T h. G o m p e r z[4]). Post quos viros doctos (ut alios omittam) communis fere exstat opinio sophistas fuisse „*bezahlte Jugendlehrer*", vel „*Wanderlehrer*"[5]). Ecce autem v. d. H. G o m p e r z Th. fil. diversam declarat rationem ineundam esse perhibetque eos in primis rhetores fuisse, ac commune illud quod haberent fuisse „*ein formal-rhetorisches Interesse*"[6]).

Th. Gomperz.

H. Gomperz.

De sophistarum artis rhetoricae vi ac ratione. Vinculum illud sophistarum commune in arte rhetorica esse quaerendum iam monuit V i t r i n g a, post eum multi alii. Qui tamen omnes arbitrati sunt sophistas eam ob causam dicendi facultati, qua quaevis res et augeri laudando et vituperando affligi posset, plurimum tribuisse, ut discipuli vitae publicae munera et auctoritatem quandam in civitate melius appetere possent. Ut ex uno omnes

1) Mnemosyne II 1853 (*De Sophistarum scholis quae Socratis aetate Athenis floruerunt*) p. 223 sqq.

2) l. l. p. 225.

3) *History of Greece* VIII 474—544.

4) *Griechische Denker* I² 331—351.

5) Cf. e.g. T h. G o m p e r z *Griech. Denker* I² p. 334 (notum est illius „*Halb Professor, halb Journalist*" p. 333), E d. M e y e r *Gr. Gesch.* IV p. 253. W. N e s t l e eos nominat „*Kulturtheoretiker und Lebenskünstler*" (praef. *Prot.* p. 5; *Die Vorsokratiker* p. 70). Vide quoque H. v. A r n i m *Leben und Werke des Dion v. Prusa* c. I p. 4—16, U. v. W i l a m o w i t z-M o e l l e n d o r f *Griech. Litteratur* (*Kultur der Gegenwart* I VIII³ 1912) p. 102 sqq., P. W e n d l a n d *Die Griech. Prosa* (Gercke-Norden *Einleitung in die Altert. Wiss.* I² p. 194—198).

6) *Sophistik und Rhetorik* p. 41. 42. 171. 278. 282. 283.

cognoscas ipsum audi Vitringa (p. 225): „Itaque omnibus „communis fuit et acutissima dialectica et artificiosa illa „rhetorica, qua de qualicumque re apte et eleganter disserere „se posse profitebantur, cuius fastigium erat notum illud „τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν. Haec autem forma artissime „cohaerebat cum eo quod extremum spectabant quodque „in eo versabatur ut discipulos suos informarent ad vitam „practicam et ad summos honores in republica capessendos." Diversa autem perhibet H. Gomperz, qui hoc probare studet sophistas vitam practicam non respexisse, nil nisi meram artem rhetoricam [1]), quasi παίγνιον [2]), ludum verborum, docere voluisse.

Qua in re erravisse videatur H. Gomperz.

Iure iam monuit v. d. W. Nestle [3]) sic omnino non explicari qui factum sit ut tanta auctoritate floruerint, neque cur Plato aliique — ut Aristophanes — eos tam vehementer impugnaverint. Hic rogandum mihi videtur: πότερόν σοι δοκοῦσιν οἱ ἄνθρωποι τοῦτο βούλεσθαι ὃ ἂν πράττωσιν ἑκάστοτε, ἢ ἐκεῖνο οὗ ἕνεκα πράττουσιν τοῦθ' ὃ πράττουσιν; Artem sane rhetoricam a sophistis cultam esse nemo est qui neget, ut ipse monet H. Gomperz [4]). Quaestio autem quid sibi proposuerint huc evenit: qua de causa (οὗ ἕνεκα) artem illam coluerint. Reverane tantummodo ut ... rhetorice disputarent homines? [5]) Ea sententia me iudice stare non potest. Quam ob rem faciebant id quod faciebant? Quid extremum

---

1) Ut verbis quoque indicat quae titulo subiecit: *Das Bildungsideal des* ΕΥ ΛΕΓΕΙΝ.

2) p. 18 sqq. et 33 etiam Gorgiae commentationem *περὶ φύσεως* tantummodo *παίγνιον* fuisse contendit.

3) *Berl. phil. Wochenschr.* XXXIII (1913) p. 1101, ubi longiore commentatione libri Gomperzii censuram egit. Item P. Wendland *Gött. Gel. Anz.* 1913 p. 53 sqq.; H. Maier *Socrates* p. 195 ann.; J. Beloch Gr. G. III^2 (1914) p. 249 ann.; M. Pohlenz *Aus Platos Werdezeit* p. 193—206.

4) l. l. p. 282.

5) H. Gomperz p. 283: *„In dieser formalen Auffassung der literari- „schen Betätigung, für welche sprachliche Darstellung nicht Mittel, also „Stil" ist, sondern Zweck, und darum „Kunst", waren alle Sophisten einig."*

Sophistae ἀρετῆς διδάσκαλοι erant. Testimonia: Menon.

spectabant? Haec roganti respondendum erit: ἀρετὴν διδάσκειν, ἀρετῆς διδάσκαλοι esse volebant. Quod accuratius demonstrare conabor.

Initium faciendum a *Menone*[1]) dialogo Platonis. Quaeritur an virtus doceri possit necne. Quod si fieri potest, necesse est exstare et magistros et discipulos virtutis (εἰ ἔστι διδακτὸν ὁτιοῦν πρᾶγμα, μὴ μόνον ἀρετή, οὐκ ἀναγκαῖον αὐτοῦ καὶ διδασκάλους καὶ μαθητὰς εἶναι; 89 D). Iam Meno: nonne exstant magistri virtutis? (ἀλλ' ἀρετῆς διδάσκαλοι οὐ δοκοῦσί σοι εἶναι; 89 E); ad quae Socrates, „nescio", inquit; deinde ad Anytum conversus „sane virtutem si discere velis, „homines adeas necesse est qui magistros virtutis sese esse „perhibent (τοὺς ὑπισχνουμένους ἀρετῆς διδασκάλους εἶναι, 91 B), sophistas dico (οἶσθα δήπου καὶ σύ, ὅτι οὗτοί εἰσιν οἵους οἱ ἄνθρωποι καλοῦσι σοφιστάς, 91 B). Sed tibi ipsi, Anyte, viden- „turne sophistae pro virtutis magistris haberi posse?" Quod ille negat, sophistas exsecrans tamquam perniciem civitatis. Miratur Socrates: οἶδα γὰρ ἄνδρα ἕνα Πρωταγόραν κτλ. (91 D). καὶ ἐν ἅπαντι τῷ χρόνῳ τούτῳ ἔτι εἰς τὴν ἡμέραν ταυτηνὶ εὐδοκιμῶν οὐδὲν πέπαυται· καὶ οὐ μόνον Πρωταγόρας, ἀλλὰ καὶ ἄλλοι πάμπολλοι (91 E). Πότερον δὴ οὖν φῶμεν — εἰδότας αὐτοὺς ἐξαπατᾶν καὶ λωβᾶσθαι τοὺς νέους, ἢ λεληθέναι καὶ ἑαυτούς; (92 A). Converso rursus ad Menonem sermone Socrates iterum rogat Τί δὲ δή; οἱ σοφισταί σοι οὗτοι, οἵπερ μόνοι ἐπαγγέλλονται, δοκοῦσι διδάσκαλοι εἶναι ἀρετῆς; (95 B). Dubitat Meno: unus sane Gorgias numquam pollicitus est se virtutem docere posse, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων καταγελᾷ, ὅταν ἀκούσῃ ὑπισχνουμένων (95 C). Unde Socrates continuo concludit[2]) non esse illos idoneos virtutis magistros, cum et ipsi et poetae de virtutis disciplina ambigant, nec inter eos conveniat virtutem doceri

---

1) Quod recte me facere inter alia testantur quae H. Maier (*Socrates* p. 185 sqq.) de huius dialogi vi ac ratione exposuit.

2) Levissimam esse argumentationem cuivis accuratius legenti statim apparet. Melius auctor ignotus in *Dial.* 6 § 9 (Diels II³ 343,8 = 646²):

posse: ἔχεις οὖν εἰπεῖν ἄλλου ὁτουοῦν πράγματος, οὗ οἱ μὲν φάσκοντες διδάσκαλοι εἶναι οὐχ ὅπως ἄλλων διδάσκαλοι ὁμολογοῦνται..; (96 A). Ex quibus omnibus colligit non posse virtutem doctrina et institutione comparari: οὐκοῦν ἀρετῆς οὐδαμοῦ φαίνονται διδάσκαλοι; et mox: ἀρετὴ ἄρα οὐκ ἂν εἴη διδακτόν; (96 C).

Fusius hunc locum tractavi, quoniam ex eo luce clarius mihi apparere videtur sophistas inprimis ἀρετῆς διδασκάλους esse voluisse. Fieri omnino non potuit, ut Socrates hoc identidem in dialogo nostro perhiberet, nisi in eos apte quadrare videretur; omnibus enim Platonis lectoribus optime noti erant.

Habeo autem quo etiam accuratius probem illud ἀρετὴν διδάσκειν [1]) fuisse τὸ οὗ ἕνεκα πράττουσιν τοῦθ' ὃ πράττουσιν sophistae, atque in hoc eorum proposito Socratem praecipue detrimentum reipublicae perspexisse.

In eodem enim *Menone* contendit Socrates datam esse homini utique veri cognoscendi reperiendique facultatem, nempe per memoriam, qua instaurata ad veritatis cognitionem pervenire possimus (80 D—81 E). Tum Meno, Gorgiae discipulus [2]): ἔχεις με τοῦτο διδάξαι ὡς οὕτως ἔχει; Socrates autem statim respondet: Καὶ ἄρτι εἶπον, ὦ Μένων, ὅτι πανοῦργος εἶ, καὶ νῦν ἐρωτᾷς εἰ ἔχω σε διδάξαι, ὃς οὔ φημι διδαχὴν εἶναι, ἀλλ' ἀνάμνησιν (82 A). Vehementer itaque negat docendo tales res disci posse. Διδαχή igitur est sophistarum, Socratis autem est ἀνάμνησις.

Duo exstant loci, qui tantopere cum nostro consentiunt,

καὶ αἱ μέν τις μὴ ἐδίδαξε, οὐ σαμήιον· αἱ δ' εἷς τις ἐδίδαξε, τεκμάριον ὅτι δυνατόν ἐστι διδάξαι. (Libri *Die Fragmente der Vorsokratiker*, quoniam saepius mihi erit laudandus, semper paginas tam tertiae quam secundae editionis afferam: e.g. Diels II³ 247=556²).

1) Postquam haec scripsi vidi virum doct. M. Pohlenz (*Aus Platos Werdezeit* p. 195 sqq.) eandem sophistarum definitionem posuisse.

2) Plato *Meno* 71 C, 96 D.

ut mireris a nullo hos tres locos in uno conspectu positos esse [1]).

Protagoras. Unus est Platonis *Protagorae* 318 A sqq. Orsus est Socrates sermonem ita, ut ex Protagora quaerat, quidnam utilitatis Hippocrati consuetudo ac disciplina eius allatura sit. Respondet sophista eum nacturum quae ad res cum domesticas tum publicas bene administrandas valeant, percepturumque artem πολιτικήν (318 E). Hoc est: profitetur se διδάσκειν ἀρετήν· Sic quoque Socrates verba eius intellegit. Nam statim confitetur de virtute sibi semper ita visum esse, ut eam doctrina et institutione non posse comparari iudicaret (οὐχ ἡγοῦμαι διδακτὸν εἶναι ἀρετήν, 320 B; εἰ οὖν ἔχεις — ἡμῖν ἐπιδεῖξαι ὡς διδακτόν ἐστιν ἡ ἀρετὴ μὴ φθονήσῃς, ἀλλ' ἐπίδειξον, 320 C). Cui sophista satisfacturus per fabulam respondet, qua demonstratur ἀρετὴν εἶναι διδακτόν, infringunturque quae de ea re exposuit Socrates. Finita autem longa oratione Protagoras denuo se virtutis magistrum profitetur (τοιοῦτόν σοι — καὶ μῦθον καὶ λόγον εἴρηκα, ὡς διδακτὸν ἀρετή, 328 C; ἀλλὰ κἂν εἰ ὀλίγον ἔστιν τις ὅστις διαφέρει ἡμῶν προβιβάσαι εἰς ἀρετήν, ἀγαπητόν· ὧν δὴ ἐγὼ οἶμαι εἷς εἶναι, 328 AB). Statim appono p. 348 E: σὺ (sc. Protagoras) δὲ καὶ αὐτὸς ἀγαθὸς εἶ καὶ ἄλλους οἷός τ' εἶ ποιεῖν ἀγαθούς, — σοφιστὴν ἐπονομάσας σεαυτόν, ἀπέφηνας παιδεύσεως καὶ ἀρετῆς διδάσκαλον.

Dialexeis. Alterum quem dixi locum invenies in fragmentis illis sophistae cuiusdam, quae Διαλέξεις inscribuntur (Diels II^3 p. 334 sqq. = 635^2). In fragmento sexto [2]), quod egregio

1) Posuit tamen, ut nunc video, M. Pohlenz l.l., qui alios quoque locos adhibuit, quos mitto. *Dial.* fragm. 6 tantummodo cum verbis Protagorae comparat H. Gomperz (p. 173 sqq.) concluditque utrumque locum ex eodem fonte, ex oratione fortasse Protagorae, quae *Μέγας Λόγος* inscriberetur, haustum esse (*demnach kann auch die gemeinsame Abhängigkeit der Protagoras-Rede bei Platon und des sechsten Abschnittes der „Doppelreden" von einem Protagoreischen Original nach menschlichem Ermessen nicht bezweifelt werden*, p. 175). De *Menone* omnino tacet.

2) Diels II^3 342,19 = 645^2.

instruxit commentario H. Gomperz [1]), itidem agitur περὶ τᾶς σοφίας καὶ τᾶς ἀρετᾶς, αἰ διδακτόν [2]).

Totum tractare locum supersedeo. Id unum nunc moneo prorsus eandem ibi argumentationem adhiberi atque in *Menone* et *Protagora*. Si virtus doceri potest, magistri eius exstent necesse est (αἰ διδακτὸν ἦν (σοφία καὶ ἀρετή) διδάσκαλοί κα ἀποδεδεγμένοι ἦν, § 3); ecce autem habemus magistros, nempe sophistas (ὡς ἄρα οὐκ ἐντὶ διδάσκαλοι ἀποδεδεγμένοι, τί μὰν τοὶ σοφισταὶ διδάσκοντι ἄλλ' ἢ σοφίαν καὶ ἀρετάν; § 7). Conferas quaeso et § 5. 6. 10, ubi de sophistis virtutis magistris agitur. Ceterum notatu dignum est voces διδάσκειν, διδάσκαλοι XVes in hoc fragmento reperiri [3]).

Iam ceteros Platonis locos, qui huc faciunt, recenseamus. **Respublica.** In libris *de Republica* prodit Thrasymachus sophista, discipulus Gorgiae [4]). Notio iustitiae adumbranda est. Socrates, tu, inquit, harum rerum peritus es; itaque μὴ φθονήσῃς καὶ Γλαύκωνα τόνδε διδάξαι καὶ τοὺς ἄλλους (I 338 A). Cui Thrasymachus: Αὕτη δὴ ἡ Σωκράτους σοφία, αὐτὸν μὲν μὴ ἐθέλειν διδάσκειν, παρὰ δὲ τῶν ἄλλων περιιόντα μανθάνειν (338 B). Itaque a sophistico illo διδάσκειν Socrates omnino abhorret. Etenim in fine libri VII, ubi ponitur in nova republica philosophos inde ab anno vitae quinquagesimo debere cives suos instituere ad bene vivendum, vocabula διδάσκειν,

---

1) p. 146. 147. 172 sqq.

2) Quod hic arcte coniunguntur *σοφία* et *ἀρετή* nihil est quod mireris. Prorsus idem interdum significare videntur; cf. *Men.* 91 A, ubi quasi per 'hendiadyn' adhibentur: *Μένων ἐπιθυμεῖ ταύτης τῆς σοφίας καὶ ἀρετῆς ᾗ* (non *αἷς*!); et cf. *Euthyd.* 274 E (*ὡς καὶ διδακτὸν ἡ ἀρετή*) cum 282 C (*εἰ ἔστι γε ἡ σοφία διδακτόν*), item 273 D (*ἀρετὴν παραδοῦναι*) cum 274 A (*ἐπιδεικνύναι ταύτην τὴν σοφίαν*). Aristoteles (*Eth. Nic.* VI, 7 in.) *σοφίαν* appellat *ἀρετὴν τέχνης*; cf. diss. J. Ludwig (infra p. 23 n. 1 laudatam) p. 42. 43. Gorgiae (*Ἑλένης ἐγκώμιον* in.) est *κόσμος — ψυχῇ σοφία, πράγματι ἀρετή*. Hac ex re ipsum quoque sophistarum nomen facile explicatur.

3) In loco *Protagorae* (318 E) hae voces XLes occurrunt.

4) Vitringa l. l. pag. 236.

διδάσκαλος alia eiusmodi, quae vehementer tibi requirere videris, omnino absunt [1]). Quod casu factum esse non potest.

Euthydemus. In *Euthydemo* Dionysodorus et Euthydemus sophistae satis ignoti in scenam producuntur a Platone (καινοί τινες αὖ οὗτοι, ὡς ἔοικε, σοφισταί, 271 B). Quid sibi velint? ἀρετήν, ὦ Σώκρατες, οἰόμεθα οἵω τ' εἶναι παραδοῦναι (273 D). An demonstrare hanc sapientiam (ἐπιδεικνύναι ταύτην τὴν σοφίαν) in animo habeant rogat Socrates. Tum Euthydemus: ἐπ' αὐτό γε τοῦτο πάρεσμεν, ὦ Σώκρατες, ὡς ἐπιδείξοντε καὶ διδάξοντε (274 A). Sic quoque in sequentibus Socrates semper verbo ἐπιδεικνύναι, vel similibus utitur (ἐπιδείξασθαι, ἐπιδείξασθον, ἐπιδεῖξαι 274 D; ἐπιδείξασθον 275 A; ἐπιδείξατον, ἐνδείξομαι κτλ. 278 D), nisi de ipsis sophistis loquitur (τόδε δέ μοι εἴπετον, πότερον πεπεισμένον ἤδη ... δύναισθ' ἂν ἀγαθὸν ποιῆσαι, ἢ καὶ τὸν μήπω πεπεισμένον ... ἢ μὴ σφὼ εἶναι αὐτῆς διδασκάλω 274 DE; ἕως ἂν Εὐθύδημός με διδάξῃ 297 B; ἵνα μὴ διδάξῃ με Εὐθύδημος, D; πότερον δή σε, ὦ Σώκρατες, ταύτην τὴν ἐπιστήμην διδάξω, ἢ ἐπιδείξω ἔχοντα; 293 B).

Cratylus. Locus ex *Cratylo* dialogo[2]), ubi Socrates Hermogeni, εἰσὶ δὲ οὗτοι, inquit, οἱ σοφισταί, οἷσπερ καὶ ὁ ἀδελφός σου Καλλίας σοφὸς δοκεῖ εἶναι· — χρὴ δεῖσθαι αὐτοῦ διδάξαι σε (391 BC), eiusdem rei documento nobis est.

Gorgiae quoque doctrina eodem spectat. Gorgias quamquam non tam sophista quam rhetor[3]) appellari voluit, tamen sophistis et adnumerabatur et adnumerandus est. Nam de eo idem valet, quod Socrates vituperat

---

1) Cf. paraphrasin v. d. Schmalzer in editione eius II p. 145: *„sie „sollen als Lehrende leben, die Idee des Guton teils als Lehrer der „Philosophie, teils als Regierende, zu verwirklichen suchen."*

2) Quem Diels quoque affert II³ 226, 17=534².

3) Plato *Gorg.* 449 A: *μᾶλλον δέ, ὦ Γοργία, αὐτὸς ἡμῖν εἰπέ, τίνα σε χρὴ καλεῖν, ὡς τίνος ἐπιστήμονα τέχνης. — Τῆς ῥητορικῆς, ὦ Σώκρατες. — Ῥήτορα ἄρα χρή σε καλεῖν; — Ἀγαθόν γε, ὦ Σώκρατες, εἰ δή ὅ γε εὔχομαι εἶναι, ὡς ἔφη Ὅμηρος, βούλει με καλεῖν* (quem locum miror deesse apud Dielsium). Cf. *Men.* 95 C, unde etiam apparet id, quod Gorgias de se negare videtur, reliquos sophistas professos esse, se *διδασκάλους εἶναι ἀρετῆς* (cf. infra p. 14 ann.).

in ceteris, ἀρετῆς διδασκάλους eos se praebuisse. Hosce conferas quaeso locos: *Gorg.* 459 E: σὺ ὁ τῆς ῥητορικῆς διδάσκαλος τούτων μὲν οὐδὲν διδάξεις τὸν ἀφικνούμενον; 453 D: ἴθι δὴ καὶ περὶ τῆς ῥητορικῆς εἰπέ· .... ὅστις διδάσκει ὁτιοῦν πρᾶγμα, πότερον ὃ διδάσκει πείθει ἢ οὔ; 459 E: ἢ τὸ παράπαν οὐχ οἷός τε ἔσει αὐτὸν διδάξαι τὴν ῥητορικήν; 455 A: οὐδ' ἄρα διδασκαλικὸς ὁ ῥήτωρ ἐστίν — ἀλλὰ πιστικὸς μόνον. οὐ γὰρ δήπου ὄχλον γ' ἂν δύναιτο τοσοῦτον ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ διδάξαι οὕτω μεγάλα πράγματα, 458 E: οὐ διδάσκοντα ἀλλὰ πείθοντα, 457 C: (ipse Gorgias) τὸν οὖν οὐκ ὀρθῶς χρώμενον μισεῖν δίκαιον καὶ ἐκβάλλειν καὶ ἀποκτεινύναι, ἀλλ' οὐ τὸν διδάξαντα.

Qui omnes loci ostendunt Gorgiam quoque, sicuti ceteri sophistae, *docere* voluisse, cum Socrates negaret id ab eo fieri posse. Notatu quoque digni sunt hi loci: 461 B (Gorgia ut videtur, devicto, eius discipulus Polus ardenti animo causam magistri suscipit): τί δέ, ὦ Σώκρατες; — ἢ οἴει, ὅτι Γοργίας ᾐσχύνθη σοι μὴ προσομολογῆσαι τὸν ῥητορικὸν ἄνδρα μὴ οὐχὶ καὶ τὰ δίκαια εἰδέναι, — καὶ ἐὰν μὴ ἔλθῃ ταῦτα εἰδὼς παρ' αὐτόν, αὐτὸς διδάξειν; ἔπειτα ἐκ ταύτης ἴσως τῆς ὁμολογίας ἐναντίον τι συνέβη ἐν τοῖς λόγοις, — ἐπεὶ τίνα οἴει ἀπαρνήσεσθαι μὴ οὐχὶ καὶ αὐτὸν ἐπίστασθαι τὰ δίκαια καὶ ἄλλους διδάξειν; ἀλλ' εἰς τὰ τοιαῦτα ἄγειν πολλὴ ἀγροικία ἐστὶν τοὺς λόγους et 482 CD (Polo, item superato, auxilio venit Callicles): ὦ Σώκρατες, δοκεῖς νεανιεύεσθαι ἐν τοῖς λόγοις· — ἔφη γάρ που (sc. Polus) Γοργίαν ἐρωτώμενον ὑπὸ σοῦ, ἐὰν ἀφίκηται — ὁ τὴν ῥητορικὴν βουλόμενος μαθεῖν, εἰ διδάξοι αὐτὸν ὁ Γοργίας, αἰσχυνθῆναι αὐτὸν καὶ φάναι διδάξειν διὰ τὸ ἔθος τῶν ἀνθρώπων, ὅτι ἀγανακτοῖεν ἂν εἴ τις μὴ φαίη· διὰ δὴ ταύτην τὴν ὁμολογίαν ἀναγκασθῆναι ἐναντία αὐτὸν αὑτῷ εἰπεῖν.

Itaque quod dictitabat Gorgias se docere, hoc Socrates in primis aggressus est. Neque multum interest, eum non 'ἀρετήν', sed artem rhetoricam professum esse. Duas enim res mihi Gorgias indicasse videtur, primum cum et aliis

subsidiis et τέχνῃ τῇ ῥητορικῇ summa in republica auctoritas summique honores adquirantur, hanc se artem solam profiteri, illa autem ceteris relinquere; deinde, quo modo discipuli illa arte in vita publica usuri sint (id quod dicitur ἀρετή: de qua vide infra cap. II), id se praedicere non posse [1].

Eundem tamen τὴν ἀρετὴν quoque spectavisse et alia docent et Plat. *Apol.* 19 E (δοκεῖ μοι καλὸν εἶναι — παιδεύειν

1) Viro docto Heinrico Gomperz itaque non assentior p. 36. 37 ann. 41 scribenti: „*Gorg. p. 460 A. und Menon 95 C. lassen sich schwer mit einander vereinigen*;" — et: „*das scheint mir ein klarer und nicht zu vertünchender „Widerspruch*"". Putat eos locos non congruere quoniam illic Gorgias docere, hic non docere dicatur. Non recte. Gorgiam enim revera docuisse ex locis supra allatis clare apparet. Neque Meno Gorgiam *docere* negat, sed hoc dicit: Γοργίου μάλιστα ταῦτα ἄγαμαι, ὅτι οὐκ ἄν ποτε αὐτοῦ τοῦτο ἀκούσαις ὑπισχνουμένου (sc. διδάσκαλον εἶναι ἀρετῆς: Diels II^{3} 240, 29=549^{2}). Interest autem inter ἐπαγγέλλομαι et ὑπισχνοῦμαι. Ἐπαγγελλόμεθα (pollicemur) sponte, ὑπισχνούμεθα (promittimus) rogati (cf. Servius ad Verg. *Aen.* I 237). Nonnullas res, quae totae in nostra potestate positae sunt, polliceri possumus: alia autem rogati promittere non possumus — ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Possunt itaque sophistae profiteri (ἐπαγγέλλεσθαι) virtutem doceri posse, seseque virtutem docere; si quis autem rogat, an ipse virtutem discere possit, hoc promittere (ὑπισχνεῖσθαι) non possunt. Quod in primis Gorgias videtur monuisse, cum essent nonnulli, qui hoc quoque pro certo promitterent (cf. cap. II § 4 de studiis paedagogicis). Recte igitur identidem sermo est de sophistarum ἐπαγγέλματι: Arist. *Rhet.* B. 24, 1402^{a}, 23 (Diels II^{3} 225, 13=532^{2}): καὶ ἐντεῦθεν δικαίως ἐδυσχέραινον οἱ ἄνθρωποι τὸ Πρωταγόρου ἐπάγγελμα. Plat. *Theag.* 127 E: οἳ παιδεύειν ἐπαγγέλλονται οἷοί τε εἶναι νέους ἀνθρώπους. Xen. *Cyn.* 13, 9: τὰ μὲν οὖν τῶν σοφιστῶν παραγγέλματα παραινῶ φυλάττεσθαι, τὰ δὲ τῶν φιλοσόφων ἐνθυμήματα μὴ ἀτιμάζειν. Plat. *Prot.* 319 A: αὐτὸ μὲν οὖν τοῦτό ἐστιν, ἔφη, ὦ Σώκρατες, τὸ ἐπάγγελμα, ὃ ἐπαγγέλλομαι. *Gorg.* 447 C: βούλομαι γὰρ πυθέσθαι ... τί ἐστιν ὃ ἐπαγγέλλεταί τε καὶ διδάσκει. *Men.* 95 B: τί δὲ δή; οἱ σοφισταί σοι οὗτοι, οἵπερ μόνοι ἐπαγγέλλονται ... *Gorg.* 447 D ubi Chaerephon: εἰπέ μοι, ὦ Γοργία, ἀληθῆ λέγει Καλλικλῆς ὅδε, ὅτι ἐπαγγέλλει ἀποκρίνεσθαι ὅτι ἄν τίς σε ἐρωτᾷ; respondet Gorgias: ταῦτα ἐπηγγελλόμην κτλ., et id quidem

ἀνθρώπους, ὥσπερ Γοργίας ὁ Λεοντῖνος) et titulus Olympiae repertus [1]): Γοργίου ἀσκῆσαι ψυχὴν ἀρετῆς ἐς ἀγῶνας

οὐδείς πω θνητῶν καλλίον' εὗρε τέχνην·

De *Gorgia* dialogo cum agamus, non praetermittendi sunt hi loci, qui bene docent quid sophistarum fuerit ἐπάγγελμα; *Gorg.* 519 C: οἱ σοφισταί — φάσκοντες ἀρετῆς διδάσκαλοι εἶναι —, et 519 E: τῶν φασκόντων παιδεύειν ἀνθρώπους εἰς ἀρετήν. Ceteros mitto ne longus fiam.

Aristophanis Nubes.

Postremus testis mihi prodeat Aristophanes. In cuius *Nubibus* sub Socratis persona sophistas illudi vix opus est dicere. Animadvertas quaeso quoties in fabula illa recurrant voces διδάσκειν, διδάσκαλος, δίδαγμα.

Versu 98: οὗτοι (i. e. sophistae ἐν τῷ φροντιστηρίῳ) διδάσκουσι —

„ 111: ἐλθὼν διδάσκου.

„ 127: διδάξομαι —

„ 194: αὐτὸς καθ' αὑτὸν ἀστρονομεῖν διδάσκεται.

„ 237/8: ἴθι νυν κατάβηθ', ὦ Σωκρατίδιον, ὡς ἐμέ,
ἵνα με διδάξῃς, ὧνπερ οὕνεκ' ἐλήλυθα.

„ 244: ἀλλά με δίδαξον —

„ 369: μεγάλοις δέ σ' ἐγὼ σημείοις αὐτὸ διδάξω,

„ 382: ἀτὰρ οὐδέν πω — μ' ἐδίδαξας.

„ 385: ἀπὸ σαυτοῦ ἐγώ σε διδάξω.

---

polliceri potuit, item se *δυνατὸν εἶναι* homines artem rhetoricam docere: *ἐπαγγέλλομαί γε δὴ ταῦτα* 449 B. Coraci quoque in iudicio Tisias *ὦ Κόραξ*, inquit, *τί ἀπηγγείλω διδάσκειν* (Spengel *Συναγ. τεχν.* p. 26). Ludificans igitur Socrates mihi dixisse videtur (*Meno* 91 B): *παρὰ τούτους τοὺς ὑπισχνουμένους ἀρετῆς διδασκάλους εἶναι*, collatis quae sequuntur: *καὶ ἀποφήναντας αὑτοὺς κοινοὺς τῶν Ἑλλήνων τῷ βουλομένῳ μανθάνειν.* Illud *ὑπισχνεῖσθαι τῷ βουλομένῳ* Gorgias tantummodo vituperavit. Haec mea sententia satis habebo si non prorsus absona videatur (cf. infra p. 102).

1) Diels II³ 238, 8 = 547². Cf. M. Fraenkel *Inschriften aus Olympia, Archaeol. Zeit.* 35 (1878), p. 43 sqq.; H. Maier *Socrates* p. 191 (*aber auch diejenigen unter den Sophisten* etc.) et p. 233 n. 1. De titulo fusius agam infra cap. II § 4 p. 100.

Versu 395: τοῦτο δίδαξον —
„ 476: ἀλλ' ἐγχείρει τὸν πρεσβύτην ὅτι περ μέλλεις προδιδάσκειν.
„ 590: (Nubes) ὡς δὲ καὶ τοῦτο ξυνοίσει, ῥᾳδίως διδάξομεν.
„ 636/7: τί βούλει . . . μανθάνειν, ὧν οὐκ ἐδιδάχθης πώποτ' οὐδέν;
„ 668: τούτου τοῦ διδάγματος —
„ 783: ἄπερρ', οὐκ ἂν διδάξαιμ' ἄν σ' ἔτι.
„ 786: ἐπεὶ τί νυνὶ πρῶτον ἐδιδάχθης;
„ 824: ὅπως δὲ τοῦτο μὴ διδάξεις μηδένα.
„ 871: καταρᾷ σὺ τῷ διδασκάλῳ;
„ 877: ἀμέλει, δίδασκε.
„ 919: οἷα διδάσκεις τοὺς ἀνοήτους.
„ 929: οὐχὶ διδάξεις τοῦτον Κρόνος ὤν.
„ 936: ἅττ' ἐδίδασκες —
„ 966: εἶτ' αὖ προμαθεῖν ᾆσμ' ἐδίδασκεν —
„ 987: προδιδάσκεις —
„ 1106: ἢ διδάσκω σοι λέγειν.
„ 1107: δίδασκε —
„ 1148: χρὴ γὰρ ἐπιθαυμάζειν τι τὸν διδάσκαλον.
„ 1338: ἐδιδαξάμην —
„ 1405: οἶμαι διδάξειν ὡς δίκαιον τὸν πατέρα κολάζειν.
„ 1442: δίδαξον γάρ —
„ 1467: ἀλλ' οὐκ ἂν ἀδικήσαιμι τοὺς διδασκάλους.

Vix me errare puto, si ex omnibus his locis concludo comicum illum in sophistis praesertim *artem docendi* reprehendisse atque oppugnavisse (quod infra[1]) etiam melius probabo), τὸ διδάσκειν itaque illud novum fuisse, quo hominum oculos ad se converterent.

---

1) Cap. III, p. 110. 115. Neque hic morandum est in argumentatione Heinrici Gomperz, qui ex *Nubibus* quoque suam thesin confirmare conatur: „*Da wir nun wissen, dass dieses Element des* „*Aristophanischen Bildes* (sc. *die Beschäftigung mit abstrusen naturphilo-* „*sophischen Spekulationen*) *nur zu den Naturphilosophen, zu den Sophisten* „*aber gar nicht passt, so müssen wir annehmen, was von jenem Bilde nach*

Sed haec satis sunto. Omnibus locis, praesertim Platonicis [1]), perlectis hoc statuendum mihi videtur: sophistas διδασκάλους atque ἀρετῆς διδασκάλους esse voluisse.

Conclusio: sophistae ἀρετῆς διδάσκαλοι erant.

Quod a Socrate omnino alienum est. Etenim illo tempore τὸ διδάσκειν minime in honore fuisse — sicuti nostrates voce *„schoolmeester"* utuntur — identidem apparet. Γελοῖος ἔοικα διδάσκαλος εἶναι καὶ ἀσαφής, sic acerbe de se ipse iocatur Socrates (*Resp.* III 392 D). Supra (p. 11 sq.) iam notavimus in *Republica* illud vocabulum a Platone cum cura atque studio fugitatum esse. Docemus enim ἐπιστήμην, τέχνην βάναυσον, ἀνελεύθερον, artem illiberalem. De eiusmodi rebus saepius vox ea apud Platonem recurrit [2]). Paucos afferam locos: *Legg.* IV 720 B duas esse legum scribendarum rationes statuitur, quemadmodum medicinae factitandae duplex ratio sit. Exstare enim veros medicos, qui studio et labore per se sibi artem comparent; doceri autem ab iis ministros suos, servos plerumque, qui verae eruditionis expertes in solo artis usu et exercitatione, quam 'praxin' hodie vocant, sub-

De vocis διδάσκειν apud antiquos vi.

„Abzug dieses Elementes übrig bleibt, sei etwa dasjenige, was dem „grossen Komödiendichter als Kennzeichen „der Sophistik" erschien" (pag. 39). *„Denn was bleibt von der Sokrates-Karikatur der Aristopha-„nischen Wolken übrig, wenn wir die „Meteorologie" beseitigen? Dass „er den λόγος ἄδικος und den λόγος δίκαιος gleichmässig lehrt"* (p. 42). Hanc autem meram principii quam dicunt petitionem esse M. Pohlenz quoque monuit (*Aus Platos Werdezeit* p. 194).

1) Ex Isocratis oratione Κατὰ τῶν σοφιστῶν idem efficit M. Pohlenz l. l. p. 200 sqq.

2) Vix est quod moneam *διδάσκαλον* propria significatione esse grammatistam, qui pueros prima elementa docebat (nostrum *'schoolmeester'*). Qui usus etiam apud Platonem invenitur, e. g. in libro VII *Legum* (ubi Atheniensis de educatione et institutione puerorum verba facit 804 C, 808 DE, 811 DE) et *Protag.* 325 sqq. Idem valet de vocibus *διδασκαλεῖον, διδασκαλία,* ludus, schola, e. g. *Hipp. Mai.* 286 B, *Legg.* VI 779 D, 764 E, VII 804 C. Deinde *διδάσκαλοι μουσικῆς, γυμναστικῆς, ἱππικῆς* quoque commemorantur (*Resp.* III 399 B, V 451 E, 467 E, VI 367 E; *Legg.* VII 794 C). Nec de his, nec de *χοροδιδασκάλοις* (*Legg.* II 656 C, XI 936 B) quicquam adiciendum.

sistant: τούς τε αὐτῶν διδάσκουσι παῖδας. Docent igitur rem externam, non ipsam scientiam. Sic in sequentibus (720 D) legimus medicum non solum praescribere medicinam vel diaetam, sed in curandis aegrotis etiam persuasionem et adhortationem adhibere: διδάσκει τὸν ἀσθενοῦντα αὐτόν, i. e. non ipsam artem medicinam recludit, sed ea, quae etiam imperitus intelligere potest, declarat. Δημιουργοί artes suas docent. *Resp.* IV 421 E legitur: καὶ τοὺς υἱεῖς ἢ ἄλλους, οὓς ἂν διδάσκῃ, χείρους δημιουργοὺς διδάξεται. Et *Sophist.* 229 D δημιουργικαὶ διδασκαλίαι commemorantur. *Legg.* VII 796 B μαθηταί opponuntur τοῖς διδάξουσιν, iis qui luctam instituunt. *Gorg.* 456 D mentio fit eorum, qui ἐν τοῖς ὅπλοις ⟨διδάσκουσι⟩ μάχεσθαι. Sic *Resp.* III 407 A ἡμᾶς αὐτοὺς διδάξωμεν apte vertas „*er achter komen.*" *Legg.* XI 934 E agitur de maledicentia. Summa sit lex in nova civitate ne quis maledicat. Si qua exstat controversia alter ad alterum accedat et διδασκέτω καὶ μανθανέτω, quid uterque fecerit quidque voluerit doceat et ab altero audiat. De factis dictisque dicitur. Denique (nam tota locorum turba laudari nequit) *Legg.* XII 951 A exponitur plurimum utilitatis ex peregrinationibus ad rem publicam redundare posse; aliorum enim hominum moribus, legibus, institutis cognitis peregrinatores ἐλθόντες οἴκαδε διδάξουσι τοὺς νέους: pueri his rebus a peregre venientibus imbuendi sunt, ut in ludis a magistris.

Docere non est veri philosophi.

Quemvis evolvas locum — ac credo paucos me effugisse — ubique res externae spectantur. Itaque qui docet, nihil ei commune est cum viro vere docto, erudito, liberaliter instituto, philosopho. Veram scientiam, virtutes morales, artem bene vivendi doceri posse negat Socrates. Quae si quis optat assequi, discere ab aliquo non potest; ipse ea investigare, quaerere, indagare omnibus animi viribus debet.

Hanc thesin sophistae impugnaverunt, Socrates defendit (cf. *Apol.* 33 A: ἐγὼ δὲ διδάσκαλος μὲν οὐδενὸς πώποτ' ἐγενόμην, B: μήτε ὑπεσχόμην μηδενὶ μηδὲν πώποτε μάθημα μήτε ἐδίδαξα. *Phaedr.* 230 D: τὰ χωρία καὶ τὰ δένδρα οὐδέν αὐτὸν

ἤθελε διδάσκειν. Vide quoque apud Xenophontem *Mem.* I 1,15[1]) quomodo Socrates disputaverit. Meliores sane aptioresque ad rem publicam gubernandam homines fieri oportebat. Quod non magistris, sed philosophis ducibus assequi debebant. Sic Plato in *Republica.* Attamen postea etiam Plato perspexisse videtur post pueritiam iuvenes magistris carere nondum posse. Has partes iam Legibus attribuit. Notabile est eum, cum in *Republica* de philosophis civitatem moderantibus numquam vocem 'διδάσκειν' usurpaverit, in *Legibus* identidem de legibus docendi illud vocabulum adhibuisse; e. g. *Legg.* IX 862 D: ὅπως ὅτι τις ἂν ἀδικήσῃ μέγα ἢ σμικρόν, ὁ νόμος αὐτόν διδάξει κτλ., IX 858 D: leges ita comparatas esse oportet, ut ad cives docendos erudiendosque maxime valeant: ἀλλὰ δῆτα οὐ χρὴ τὸν νομοθέτην μόνον τῶν γραφόντων περὶ καλῶν καὶ ἀγαθῶν καὶ δικαίων συμβουλεύειν, διδάσκοντα οἷά τέ ἐστι κτλ., I 632 A: ἐν πᾶσιν τοῖς τοιούτοις τῆς ἑκάστων διαθέσεως διδακτέον καὶ ὁριστέον τό τε καλὸν καὶ μή (διδακτέον sc. legibus, δι' αὐτῶν τῶν νόμων 632 A in.), VI 783 D: venit Atheniensis ad leges, quibus novi coniuges edoceantur quo pacto liberos procreari oporteat: ἔλθωμεν δ' ἐπὶ τὰ νυμφικά, διδάξοντές (sc. τισι νόμοις) τε αὐτούς πῶς χρὴ ... τούς παῖδας ποιεῖσθαι κτλ., IV 720 D: agitur de ipsis legibus, quae novae civitati ferendae sunt, quarum principia disquiruntur, quem locum supra (p. 17) quoque tractavimus. Sicuti autem veri medici διδάσκουσι τὸν ἀσθενοῦντα, sic legibus quoque prooemia praemittenda sunt, quae earum argumentum illustrent civibusque commendent (διδάσκουσιν).

Postea Plato docendi munus legibus impertiit.

Haec omnia, quae de voce διδάσκειν exposita sunt, minime

---

1) His verbis Antisthenem spectari probavit H. Maier *Socrates* p. 107 sq. Idem conferendus est p. 193: *„ebenso ferne aber hielt sich „Socrates überhaupt von jeder Art von Unterrichtstätigkeit, die mit der „sophistischen in Parallele gestellt werden konnte."* Inter alia haec adducit testimonia: Aesch. reliq. Krauss fr. 4 (Aristides or. XIV), Plat. *Lach.* 200 C (collatis D et E).

Quid H. Gomperz de tota hac re senserit. cum thesi viri doctissimi Heinrici Gomperz congruere statim apparet. Rhetores sane sophistae erant[1]), sed non hoc dicit. Audiamus ipsum: *„Nicht nur dass sie alle Rhetoren waren — „dies hervorzuheben wäre ein logischer Fehler, da wir ja den „Begriff des Sophisten nach dem Merkmal des Jugend„unterrichtes abgrentzten, dieser aber in jener Zeit rheto„rische Unterweisung notwendig einschloss —, sondern es „hat sich auch bei ihnen allen die Rhetorik als der Mittel„punkt ihres Interessenkreises, ebendeshalb aber auch „ihre Auffassung menschlicher Bildung und menschlicher „Trefflichkeit als eine rein formale herausgestellt"* (p. 282). Rhetoricam autem tractabant non ut novas philosophiae theses praedicarent, neque ut simpliciter rhetores essent, qui de qualicumque re apte et eleganter disserere se posse profiterentur, sed ut discipulos suos informarent ad vitam practicam et ad summos in re publica capessendos honores, ut essent ἀρετῆς διδάσκαλοι. Hoc sophistis illud commune fuisse οὗ ἕνεκα πράττουσιν τοῦϑ' ὃ πράττουσι pro certo constare videtur.

Iudicium Ciceronis. Non parvi fortasse momenti est, quod Cicero scribit *de Orat.* III, 15, 57 sqq.: „nam vetus quidem illa doctrina eadem videtur et recte faciendi et bene dicendi magistra; neque diiuncti doctores sed eidem erant *vivendi praeceptores atque dicendi.*"

„Apologia Sophistarum". Prorsus autem eodem tendunt quae in Platonis *Theaeteto* (166 D sqq.) leguntur. Locus est quem Diels (II³ 225, 18=532²) „Apologiam Protagorae" appellavit, ego apologiam totius artis sophisticae appellare malim[2]). Quem integrum exhibere operae pretium est: ἐγὼ γάρ φημι μὲν τὴν ἀλήϑειαν ἔχειν ὡς γέγραφα· μέτρον γὰρ ἕκαστον ἡμῶν εἶναι τῶν τε ὄντων καὶ μή, μυρίον μέντοι διαφέρειν ἕτερον ἑτέρου αὐτῷ τούτῳ, ὅτι τῷ μὲν ἄλλα ἔστι τε καὶ φαίνεται, τῷ

1) Cf. H. Maier *Socrates*, p. 226 sqq.
2) Cf. H. Maier *Socrates*, p. 215 sqq.

δὲ ἄλλα. καὶ σοφίαν καὶ σοφὸν ἄνδρα πολλοῦ δέω τὸ μὴ φάναι εἶναι, ἀλλ' αὐτὸν τοῦτον καὶ λέγω σοφόν, ὃς ἄν τινι ἡμῶν, ᾧ φαίνεται καὶ ἔστι κακά, μεταβάλλων ποιήσῃ ἀγαθὰ φαίνεσθαί τε καὶ εἶναι. Et mox ἀλλ' οἶμαι πονηρᾶς ψυχῆς ἕξει δοξάζοντα συγγενῆ ἑαυτῆς χρηστὴ (sc. ἕξις) ἐποίησε δοξάσαι ἕτερα τοιαῦτα, ἃ δή τινες [τὰ φαντάσματα] ὑπὸ ἀπειρίας ἀληθῆ καλοῦσιν, ἐγὼ δὲ βελτίω μὲν τὰ ἕτερα τῶν ἑτέρων, ἀληθέστερα δὲ οὐδέν. καὶ τοὺς σοφοὺς...... κατὰ μὲν σώματα ἰατροὺς λέγω, κατὰ δὲ φυτὰ γεωργούς. φημὶ γὰρ καὶ τούτους τοῖς φυτοῖς ἀντὶ πονηρῶν αἰσθήσεων, ὅταν τι αὐτῶν ἀσθενῇ, χρηστὰς καὶ ὑγιεινὰς αἰσθήσεις τε καὶ ἀληθεῖς ἐμποιεῖν, τοὺς δέ γε σοφούς τε καὶ ἀγαθοὺς ῥήτορας ταῖς πόλεσι τὰ χρηστὰ ἀντὶ τῶν πονηρῶν δίκαια δοκεῖν εἶναι ποιεῖν. ἐπεὶ οἷά γ' ἂν ἑκάστῃ πόλει δίκαια καὶ καλὰ δοκῇ, ταῦτα καὶ εἶναι αὐτῇ, ἕως ἂν αὐτὰ νομίζῃ. ἀλλ' ὁ σοφὸς ἀντὶ πονηρῶν ὄντων αὐτοῖς ἑκάστων χρηστὰ ἐποίησεν εἶναι καὶ δοκεῖν. κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν λόγον καὶ ὁ σοφιστὴς τοὺς παιδευομένους οὕτω δυνάμενος παιδαγωγεῖν σοφός τε καὶ ἄξιος πολλῶν χρημάτων τοῖς παιδευθεῖσιν. καὶ οὕτω σοφώτεροί τέ εἰσιν ἕτεροι ἑτέρων καὶ οὐδεὶς ψευδῆ δοξάζει, καὶ σοί, ἐάν τε βούλῃ ἐάν τε μή, ἀνεκτέον ὄντι μέτρῳ· σῴζεται γὰρ ἐν τούτοις ὁ λόγος οὗτος p. 167 B [1]).

Sophistae praeceptores Graeciae.

Magistri non semper et ubique in honore erant, neque sunt, neque erunt. Optime tamen semper de tota hominum societate meriti sunt. Operae itaque pretium est *sophistas praeceptores Graeciae* penitus cognoscere, et a ceterorum iudiciis et sententiis liberatos familiaritatem cum singulis contrahere. Quod in hoc libello conscribendo ego quoque pro viribus meis facere conatus sum.

---

1) Locum suo Marte tractavit H. Gomperz p. 228. 261 sqq. (cf. p. 206).

CAPUT II.

Quid sophistae docuerint.

Κόσμος — ψυχῇ σοφία, πράγματι ἀρετή.
Gorgias.

Es scheint nichts schwieriger zu sein, als dass eine Idee, die in eine Wissenschaft hineintritt, in dem Grade wirksam werde, um sich bis in das Didaktische zu verschlingen, und sich dadurch gewissermassen erst lebendig zu erweisen.
Goethe.

Τῆς ἀρετῆς ὅτι μὲν ἐρῶσιν ἅπαντες εὔδηλον, ὅτι δὲ διὰ πόνων ἔστι τυχεῖν αὐτῆς, οἱ πολλοὶ ἀφίστανται. ἴσως μὲν οὖν εἰ ἦν τὸ σῶμα αὐτῆς δῆλον, ἧττον ἂν ἠμέλουν οἱ ἄνθρωποι ἀρετῆν. ὑπὸ δὲ τῆς ἀρετῆς οὐκ οἰόμενοι ἐπισκοπεῖσθαι πολλὰ κακὰ καὶ αἰσχρὰ ἐναντίον ποιοῦσιν, ὅτι αὐτοὶ ἐκείνηην οὐχ ὁρῶσιν. ἡ δὲ πανταχοῦ πάρεστι διὰ τὸ εἶναι ἀθάνατος καὶ τιμᾷ τοὺς περὶ αὐτὴν ἀγαθούς, τοὺς δὲ κακοὺς ἀτιμάζει.
Xenophon *Cyneg.* c. XII.

Ἀρετὴν docebant sophistae. Primo capite demonstrare conati sumus sophistas fuisse ἀρετῆς διδασκάλους. Itaque 'ἀρετήν' docebant. Quaenam autem **De vocis ἀρετὴ vi.** Socratis temporibus fuit vis atque notio vocis 'ἀρετή'? Hoc non facile diiudicatu est. Vera enim et propria huius vocis significatio, propterea quod eius vis latissime patet, iam antiquitus valde ambigua et obscura fuisse videtur.

In qua investiganda adiuvamur tamen commentatione

viri doct. Iohannis Ludwig de hac ipsa re scripta[1]). Ne longus fiam, ea, quae Ludwigius accuratis investigationibus verisimilia invenit, paucis verbis complecti mihi liceat et veluti subductis rationibus brevem eorum summam conficere.

Voce 'ἀρετή' corporis virtutes ab Homero praecipue collaudantur (p. 10), excellentiaque militaris (p. 12); interdum etiam ad opes refertur (p. 16), numquam tamen post Hesiodum haec notio ei tributa est (p. 17). Semper indicabat id propter quod honos alicui tribuebatur (p. 18). In Odyssea iam ad mores refertur (p. 20), quam moralem notionem recentiores quoque usurparunt (p. 22). Feminarum ἀρετή est pulchritudo (p. 24), fides erga maritos (p. 25), domestica diligentia (p. 26). In bestiis, rebus, terra ἀρετή inesse potest (p. 27). Civitate populari constituta nascitur notio virtutis civilis (p. 29 sqq.). *Numquam vero voce 'ἀρετή' significatur sola ars dicendi* (p. 32). „Graeci multo plura refere„bant ad virtutem recte erga rempublicam se habendi quam „nos; amplectebantur enim simul nonnulla sine quibus „amorem patriae exercere, ita ut honorem adipiscerentur, „non poterant. Ita Graecorum virtus civilis nostra lingua „sic est definienda, ut ea comprehendantur: *achtungbrin„gende, sich äussernde Eigenschaften, die der Betätigung „der Vaterlandsliebe dienen*" (p. 33). Haec de singulis ἀρετῆς notionibus. **Dissertatio Iohannis Ludwig perlustratur.**

De universa iam virtute disserens (p. 37) „accuratius", inquit, „vim et ipsam vocis naturam credimus nos declarare, „cum ponimus significari omnia ea, quibus aliquis perficiat

1) J. Ludwig: *Quae fuerit vocis 'APETH vis ac natura ante Demosthenis exitum*, Diss. Lipsiae 1906. Severus est iudex (p. 5 sq.) dissertationis Kochii (*Quae fuerit ante Socratem vocabuli ἀρετή notio*, Jena 1900) de qua „neque vero", inquit, „omnia quae invenisse sibi visus est, digna sunt quae respiciantur." Cui assentior. Hanc itaque mitto. De voce ἀρετή egit etiam Wilamowitzius *das Skolion des Simonides an Skopas, Nachrichte d. Gött. Ges. d. Wiss.* 1898, 219 sq. (= *Sappho und Simonides* p. 169 sqq.)

„ut a reliquis honore dignus putetur; vernacule „*Das was* „„*Achtung bringt*". Hac nota communi, quam Wundtius „vocat „*Das dominierende Merkmal*", ubicumque vocem „ἀρετή investigavimus — ac paucos locos credo nos fugisse — „tota ac plena notio comprehenditur, nisi ipsa laus scilicet „sola mente, non verbis alicui tributa (vernacule: *Achtung*) „vel fama virtutis intellegitur." — Haec vocis est vis subiectiva. De vi activa haec (p. 42): „omnibus enim locis intelle-„genda est ea virtus e qua vel oriantur vel ortae sint „actiones, numquam voce 'ἀρετή' notatur talis virtus, quae „etsi hominibus inest, tamen quasi latet neque exercetur."

Conclusio eius minime quadrat cum thesi Heinrici Gomperz.

Iam apparet sophistas haud parva spopondisse cum sese ἀρετῆς διδασκάλους fore profiterentur. Conclusione autem Iohannis Ludwig iam refutatum est propositum viri doct. H. Gomperz, quem perlegas quaeso pp. 41, 278, 279, 282, 283, 291. Quae omnia minime consentiunt cum notione vocis 'ἀρετή' supra allata. Neque ego ullum inveni locum quo explicatio Johannis Ludwig refelleretur [1]. „*In dieser formalen Auffassung der „literarischen* „„*Betätigung*", *für welche sprachliche Darstellung nicht* „*Mittel, also „Stil" ist, sondern Zweck, und darum „Kunst"*, „*waren alle Sophisten einig.*" Ita Gomperzius (p. 283). Hoc autem siquis probare velit, demonstrandum erit longe aliam notionem sophistas tribuisse voci 'ἀρετή'. At rectissime Ludwig: „*Numquam* vero voce 'ἀρετή' significatur sola ars dicendi", et: „*omnibus locis* intellegenda est ea virtus, e qua vel oriantur vel ortae sint *actiones.*" Id quod etiam de sophistis valet [2].

Hisce paucis praemissis, ad ea quae sophistae docuerunt accuratius investiganda accedamus, ut praeceptores illos

1) Locos non exscribam, quoniam nil novi afferre possunt.

2) Siquid video postea apud Platonem Aristotelemque non prorsus eadem fuit notio vocis 'ἀρετή', qua ex re partim fortasse eorum cum sophistis controversia explicari potest.

quam poterimus optime intellegamus, quod etiam scripta de eis agentia recte intelligendi fons est et principium.

De Graecorum puerorum ante sophistarum tempus institutione.

Sed priusquam ad singula eorum transeamus studia, haud inutile videtur breviter illustrare, quid usque ad sophistarum tempus Graeci liberos docuerint[1].

Quid Platonis Protagoras de hac re doceat.

Notabile est caput Platonis *Protagorae* (325 C sqq.), ex quo puerorum educatio et institutio, quae apud Athenienses illa aetate vigebat, optime cognoscitur. Omnis liberorum institutio Athenis in arbitrio parentum posita erat, ut nec quando pueri, nec cui in disciplinam tradendi essent, praescriptum esset. Septimo fere aetatis anno ad citharistam[2]) mittebantur, ut in scribendo et legendo exercerentur. Primis illis elementis comprehendi etiam musicam, quae ab ingenuis pueris mature discenda et exercenda erat moderante citharista, satis notum est[3]). Isdem autem annis, quibus literarum et artis musicae initia discebant, paedotribarum disciplinae tradebantur, a quibus in palaestris artem

---

1) Conferenda hac de re sunt: Fr. Cramer *Geschichte der Erziehung und des Unterrichts* I (1832) p. 231—297; L. Grasberger *Erziehung und Unterricht im klass. Altertum* II (1875) passim (vide indices); P. Monroe *Textbook in the History of Education* (1907) p. 52—117; Th. Davidson *Aristotle* (*Great educators* I) (1904) p. 1—114; P. Girard *l'Education athénienne au Ve et au IVe Siècle* (1891²); K. Kuiper *Atheensch Jongensleven* (1911) p. 59 sqq.

2) Nomen 'grammatista' posterioris aetatis esse videtur, cf. Davidson l.l. p. 77, Grassberger II p. 350. Certe ante annum fere 450 munera grammatistae et citharistae in uno iuncta fuisse constat; cf. Quint. *Inst. Or.* I 10, 17: „grammatice quondam ac musice iunctae fuerunt; siquidem „Archytas atque Aristoxenus etiam subiectam grammaticen musicae putave„runt; et eosdem utriusque rei praeceptores fuisse, cum Sophron ostendit — „tum Eupolis, apud quem Prodamus et musicen et literas docet; et „Maricas, qui est Hyperbolus, nihil se ex musice scire nisi literas „confitetur."

3) Quam praeclare veteres de vi et efficacitate musices senserint, cum multi aliorum scriptorum loci testantur, tum Platonis verba *Resp.* III 401 D E; item Cic. *Tuscul. disp.* I 2, 4; cf. Guilelmum Nestle ad *Protag.* 436 B (p. 83 eius editionis).

gymnasticam docerentur (326 B C)[1]. Pueri autem cum elementa didicerant, statim Homeri carmina tractabant, praeter quem et Hesiodus, Theognis, alii, in scholis legebantur (325 E ἐπειδὰν αὖ γράμματα μάθωσιν κτλ.). Plurimum tempus in carminibus ediscendis consumebant, ut vel totum Homerum ediscerent[2]. Sic iure de Homero perhibere poterant ὡς τὴν Ἑλλάδα πεπαίδευκεν οὗτος ὁ ποιητής (*Resp.* X 606 E). Huius autem non est loci inquirere, quonam modo carminibus poetarum ad institutionem et disciplinam iuventutis uterentur, praesertim cum infra paulo diligentius de hac re agendum nobis sit[3].

Palaestrae maturitatis, ut ita dicam, testimonium adepti gymnasium frequentabant adulescentes. Ibi duos per annos corporis praesertim exercitationibus operam dabant, deinde leges quoque discere debebant, iubente ipsa re publica (326 C: ἡ πόλις αὖ τούς τε νόμους ἀναγκάζει μανθάνειν[4]). *Reliqua autem, quae boni civis sunt, sibi ipsi in re publica versantes acquirebant.* Vitam optimam esse magistram veteres putabant[5].

Quibus in rebus haec institutio defecerit, Quae institutio, quamquam et humanior et expletior et magis ad iuvenes bene erudiendos idonea videtur quam

1) Cf. Plato *Resp.* III 403 C. Et citharistam et paedotribam in uno eodemque aedificio docuisse, verisimile videtur, quamquam pro certo affirmari non potest. Ex loco tamen *Lysidis* (204 A) ubi Miccus, quem sophistam nominat Socrates, docet (διδάσκει) ἐν παλαίστρᾳ νεωστὶ ᾠκοδομημένῃ, hoc sumere licet. Aliter censet Monroe l. l. p. 83.

2) Cf. Xenoph. *Symp.* 3, 5; Plat. *Legg.* VII 810 E; vide Guilelmum Nestle ad *Prot.* 325 E.

3) Vide p. 53. 124.

4) Cf *Prot.* 326 D: ὡς δὲ καὶ ἡ πόλις νόμους ὑπογράψασα κατὰ τούτους ἀναγκάζει καὶ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι. Quonam modo respublica hoc coegerit non apparet. Publice leges affigebantur (Arist. *Rep. Ath.* 71); et apud Lucianum (*Anach.* 22) ipse Solon narrat: ῥυθμίζομεν τὰς γνώμας (τῶν νέων) νόμους τε τοὺς κοινοὺς ἐκδιδάσκοντες οἳ δημοσίᾳ πᾶσι πρόκεινται ἀναγιγνώσκειν μεγάλοις γράμμασιν ἀναγεγραμμένοι.

5) Cf. H. Maier *Socrates* p. 189 sqq.

educatio apud quemvis alium antiquitatis populum reperta, duobus tamen vitiis, vel potius lacunis, laborabat: in ludis nil nisi literae docebantur [1]); postulata vitae activae omnino non respiciebantur [2]).

praesertim in libera republica.

In re publica et potenti et late patente, in qua per populum agebantur omnia, haec neglegenda iam non erant [3]). In diem difficilius erat rectam vivendi dicendique viam in rebus tam publicis quam privatis invenire. Vera illa 'ἀρετή', i.e. „ea omnia, quibus aliquis perficiat ut a civibus honore dignus putetur", ea virtus magis magisque ἕρμαιον [4]) fiebat.

Lacunas sophistae explere volebant.

Ecce prodeunt sophistae, ἀρετῆς διδάσκαλοι. τὸ δὲ μάθημά ἐστιν εὐβουλία περὶ τῶν οἰκείων, ὅπως ἂν ἄριστα τὴν αὑτοῦ οἰκίαν διοικοῖ, καὶ περὶ τῶν τῆς πόλεως, ὅπως τὰ τῆς πόλεως δυνατώτατος ἂν εἴη καὶ πράττειν καὶ λέγειν [5]). Magnum est ἐπάγγελμα. Ex quo tamen statim apparet sophistas duas illas lacunas explere conatos esse. Postulationibus vitae practicae conceditur, neque haec sophistarum institutio literaria dici potest. Quod etiam melius apparebit, cum singula tractaverimus eorum studia, μαθήματα, quibus 'τρέφεται ἡ ψυχή' [6]).

De artis docendi historia conscribenda.

In paragraphos IV totam materiem dividendam duxi. Agam de studiis theologicis, philologicis, politicis, paedagogicis [7]). Artis sane docendi historia vereor ne nulla ex antiquitatis monumentis erui possit nisi valde rudis et imperfecta. Boni enim praeceptoris non est scribere sed docere, i.e. omnes vires intendere, ut discipulos

1) Quod Xenophontem quoque in *Institutione Cyri* reprehendisse puto. Nempe hac in re in primis Persarum educatio a Graecorum differebat.

2) Cf. A. Busse *Socrates* p. 31.

3) Cf. Ph. Kohnstamm *Democratie* (*Synthese* II), quo postea recurram.

4) Plato *Euthyd.* 273 E: *πόθεν τοῦτο τὸ ἕρμαιον ηὑρέτην;*

5) Plato *Prot.* 318 E. Paene eadem verba invenies apud Xenophontem *Mem.* IV 1, 2.

6) Plato *Prot.* 313 C.

7) Cf. infra p. 105 n. 2.

ad eandem animi altitudinem, quam ipse attingere tentat, erigat alatque et una cum morum et ingenii elegantia ardentem apud eos veritatis et aequitatis confirmet amorem. Huius autem rei historia memoriae non traditur. Quod monendum, ne quis ex sequentibus sibi statim totam praeceptorum illorum imaginem proponi posse arbitretur! Sed variis ex radiis lux candida demum nascitur.

---

§ 1. De sophistarum studiis theologicis.

Ins Sichere willst du dich betten?
Ich liebe mir inneren Streit.
Denn wenn wir die Zweifel nicht hätten,
Wo wäre denn frohe Gewissheit?
Goethe.

In rebus divinis dubitatio non est vituperanda.

Ubi primum de dis rebusque divinis dubitare homines coeperunt, prima nata sunt elementa sanctae theologiae. Nil qui dubitat nil investigat, perscrutatur, distinguit. Fecunda est dubitatio mater omnium studiorum, quibus propius ad veritatem accedere conamur[1]). Asperam autem hanc viam paucis tantummodo libet terere; ceteris semper molesta videtur dubitatio, omnibus viribus supprimenda. At in rebus divinis, quibus praesertim antiquitus tota nitebatur vita, non solum molesta, verum etiam periculosa, immo nefasta habita est. Quot iam homines dubitandi audaciam morte expiaverunt! Cuius rei etiam Christianae religionis historia permulta affert exempla.

Alii — idque praesertim nostris temporibus — nil volunt credere praeterquam ea quae mente ac ratione omni ex parte intellegi et demonstrari possunt: in quo numero sunt qui numquam senserunt aeternam illam veritatem a Christo nobis patefactam, quam bene expressit Bodelschwingius: „*Nicht der Zweifel, sondern die Schuld trennt uns von Gott.*"

---

1) Cf. Arist. *Met.* II 1, 2: *ἡ γὰρ ὕστερον εὐπορία λύσις τῶν πρότερον ἀπορουμένων ἐστί, λύειν δ' οὐκ ἔστι ἀγνοοῦντας τὸν δεσμόν.*

Religio populorum orientalium dubitationem non admittebat,

A populis orientalibus, Aegyptios, Assyrios, Babylonios dico, alienum erat dubitare de rebus divinis. Occasio investigandi hominibus deerat. Ipsa respublica religionem tuebatur, vel potius: ipsa respublica religio erat [1]). Ordo separatus sacerdotum arcana custodiebat; et artem, ut ita dicam, vel doctrinam divinam inter sese tradebant [2]). Ex praeceptis eorum homines per 'deductionem', quae dicitur, tantum quasque res explicabant [3]). Per inductionem autem — qui verorum studiorum fons est — in ipsam religionem, originem deorum, non inquirebant. Quod etiam valet de Veteris Testamenti Iudaeis, quamquam apud eos arcana deerant, totusque populus Dei, ut dicebatur, sacerdos erat, et praecepta revera ethica prima data sunt. Sed 'sub lege' omnia erant.

unde neque vera studia theologica.

De statu religionis apud Graecos.

Quae omnia quam diversa statim ab initio apud Graecos inveniuntur! Libera omnibus hac in re via patebat [4]). Ex carminibus poetarum [5]), pueris iam notis, non ex legibus a paucis explicandis, elementa religionis cognoscebantur. Sacerdotes, si qui erant, templorum custodes erant. In oraculis tantummodo maiorem auctoritatem habebant. Nec mirum

---

1) De sequentibus — quibus hoc probare conor studia theologica nisi apud Graecos nasci non potuisse — inter alios conferas J. Burckhardt *Weltgeschichtliche Betrachtungen* p. 106. 138; H. Winckler *Die babylonische Geisteskultur* (*Wissenschaft und Bildung* 15) p. 44 sqq.

2) Cf Philostr. *Vit. Soph.* I 10, 2 (Diels II^3 221, 4=527^2): *μάγοι γὰρ ἐπιθειάζουσι μὲν οἷς ἀφανῶς δρῶσι, τὴν δὲ ἐκ φανεροῦ δόξαν τοῦ θείου καταλύουσιν οὐ βουλόμενοι δοκεῖν παρ' αὐτοῦ δύνασθαι.*

3) H. Winckler l.l. p. 45.

4 J. Burckhardt l.l. p. 137: „*Welches auch ihre Religiosität gewesen sei, Griechen und Römer waren eine völlige Laienwelt; sie hatten stehende Zeremonien, aber kein Gesetz und keine schriftliche Offenbarung, welche die Religion über den Staat und das übrige Leben emporgehalten hätte.*"

5 Qu magistri erant populi: cf. Arist. *Ranae* 1054 sq.: *τοῖς μὲν γὰρ παιδαρίοισιν ἔστι διδάσκαλος ὅστις φράζει, τοῖς ἡβῶσιν δὲ ποιηταί.*

est religionem ab Homero Hesiodoque proditam, cum nullis institutis tueretur, sed liberae cuiusvis curae et arbitrio permissa esset, mox multis displicuisse. Huius non est loci haec omnia singulatim persequi. Ex numero philosophorum, qui iam ante sophistarum tempora alii alia de dis protulerunt, Xenophanes et Empedocles in primis noti sunt. Eorum autem sententias carminibus expressas omnino intuitivas, ut ita dicam, (vel subiectivas) fuisse, ex fragmentis statim apparet. Duos afferam Xenophanis locos [1]):

καὶ τὸ μὲν οὖν σαφὲς οὔτις ἀνὴρ γένετ' οὐδέ τις ἔσται
εἰδὼς ἀμφὶ θεῶν τε καὶ ἅσσα λέγω περὶ πάντων·
εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιστα τύχοι τετελεσμένον εἰπών,
αὐτὸς ὅμως οὐκ οἶδε· δόκος δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται.

et:

ἀλλ' οἱ βροτοὶ δοκέουσι γεννᾶσθαι θεούς,
τὴν σφετέρην δ' ἐσθῆτα ἔχειν φωνήν τε δέμας τε.

Intellegimus Aristotelem [2]) questum esse eum οὐδὲν διασαφηνίσαι; qui pergit: ἀλλ' εἰς τὸν ὅλον οὐρανὸν ἀποβλέψας τὸ ἓν εἶναί φησι τὸν θεόν· οὗτοι (sc. Xenophanes et Melissus) μὲν οὖν ἀφετέοι πρὸς τὴν νῦν παροῦσαν ζήτησιν, - ὡς ὄντες μικρὸν ἀγροικότεροι. Poeta philosophatur, vel si mavis philosophus poetatur. Theses suas ponit, longiore disquisitione nec adumbrat nec probat. Idem valet de Empedocle (cf. fragm. 132/4). Viri docti autem officium plura comprehendit. Studia obiectiva esse debent, i.e. colligenda sunt quae in utramque partem et dicta sunt et dici possunt.

De Protagorae studiis theologicis.

Hoc omnium primus sensit Protagoras [3]), ad quem paucis his praemissis nunc convertamur. Apud Diogenem et Eusebium [4]) commemoratur Protagorae σύγγραμμα, h.e.

---

1) Fr. 34 et 14; cf. fr. 11 . 15 . 16 . 18 . 23 . 24 (numerus fragmentorum est editionis Dielsii I² 11 B).

2) *Metaph.* A 5 986b 18.

3) Diels II³ 219, 17=525²: *καὶ πρῶτος ἔφη δύο λόγους κτλ.*

4) Loci afferuntur pagina sequenti.

scriptum, commentarius, cui titulus Περὶ θεῶν[1]. Scripsit igitur separatim de dis, quod ante eum nemo, quantum scimus, fecerat. Quodsi nihil aliud sciremus, id ipsum magni iam momenti esset, indicaretque eum quaestionem, quid de dis constaret, movisse. Idque eum ita fecisse, ut hac quoque in re δύο λόγους ἀντικειμένους ἀλλήλοις exponeret — id quod per se iam est verisimile —, ex operis initio ἀγαθῇ τύχῃ nobis servato apparet. **Commentarius 'Περὶ θεῶν'.**

Ex fragmentis huc pertinentibus accuratius collatis, quamquam vix concludere licet quonam modo in reliqua disputatione rem tractaverit, hoc tamen constare mihi videtur eum revera studia theologica initiasse. Quod ut probem, non possum quin paulo accuratius quam res fortasse poscere videtur, ea inspiciam, praesertim cum primo visu parum congruere videantur. **De huius scripti testimoniis:**

Verba eius apud Diogenem Laertium[2]) haec sunt: Περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι, οὔθ' ὡς εἰσὶν οὔθ' ὡς οὐκ εἰσίν· πολλὰ γὰρ τὰ κωλύοντα εἰδέναι ἥ τ' ἀδηλότης καὶ βραχὺς ὢν ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου. Ipsius sophistae verba referre videtur Diogenes, neque quicquam sane obstat quominus id putemus[3]). Quod etiam sequentia probant: διὰ ταύτην δὲ τὴν ἀρχὴν τοῦ συγγράμματος ἐξεβλήθη πρὸς Ἀθηναίων. Eadem tradit Eusebius[4]), sic exordiens: λέγεται γοῦν τοιᾷδε κεχρῆσθαι εἰσβολῇ ἐν τῷ 'Περὶ θεῶν' συγγράμματι. Habet tantummodo οὐκ οἶδα pro οὐκ ἔχω εἰδέναι additque οὔθ' ὁποῖοί τινες ἰδέαν post ὡς οὐκ εἰσίν. Quae verba servanda videntur[5]); illud autem οὐκ οἶδα sine dubio falsum est, ut Hesychius **Diogenis Laertii,** **Eusebii,**

1) Cf. Diels II³ 219, 23=525²; 220, 8=526².

2) IX 51, fr. 4 Diels (II³ 229, 25=537²).

3) Haud inutile esset quaerere quo usque ipsa sophistarum scripta et servata et lecta fuerint, cf. Th. Gomperz *Apologie der Heilkunst* p. 185; notabile est quod scripsit Philostratus (*Vita Soph.* 263, 21) de Proclo: *ἱππιάζοντί τε ἐῴκει καὶ γοργιάζοντι.*

4) *Praep. Evang.* XIV 3, 7 (Diels ibid.)

5) H. Gomperz l.l. p. 131 (n. 287), qui contulit verba Timonis (vide infra). Videas quoque locum Sexti infra allatum, item Ciceronis verba „qualesve sint" (*de nat deor.* I 12, 29: Diels II³ 226, 10=533²),

docet [1]) ceteraque testimonia quae infra adhibebo. Nonne conicias Eusebium (vel fontem eius?) verba paululum mutasse, ut iure suo in numero τῶν ἀθέων sophistam habere posset (l.l.: ὁ μὲν γὰρ Δημοκρίτου γεγονὼς ἑταῖρος ὁ Πρωταγόρας ἄθεον ἐκτήσατο δόξαν)?

Philostrati, **Sexti,**

Eodem spectant verba Philostrati [2]): τὸ δὲ ἀπορεῖν φάσκειν, εἴτε εἰσὶ θεοὶ εἴτε οὐκ εἰσί, δοκεῖ μοι Πρωταγόρας ἐκ τῆς Περσικῆς παιδεύσεως παρανομῆσαι. Similia tradit Sextus [3]), verba sophistae referens: περὶ δὲ θεῶν οὔτε εἰ εἰσὶν οὔθ' ὁποῖοί τινές εἰσι δύναμαι λέγειν · πολλὰ γάρ ἐστι τὰ κωλύοντά με, qui illud δύναμαι λέγειν (pro ἔχω εἰδέναι) ex Timone Phliasio videtur sumpsisse, cuius verba laudat [4]):

ὅττι θεοὺς κατέγραψ' οὔτ' εἰδέναι οὔτε δύνασθαι
ὁπποῖοι τινές εἰσι καὶ οἵ τινες ἀθρήσασθαι,

ubi δύνασθαι scriptum est ne εἰδέναι iteraretur.

Ciceronis.

Denique affero Ciceronem [5]) in principio libri Protagoram sic scripsisse perhibentem: „de divis neque ut sint neque ut non sint habeo dicere." Paulo supra monuit: „nec vero Protagoras, qui sese negat omnino de deis habere quod liqueat sint non sint qualesve sint, quicquam videtur de natura deorum suspicari."

Quid concludendum videatur.

Quaerentibus quid ipse Protagoras affirmare voluerit, respondendum illud οὐκ ἔχειν εἰδέναι saepius iteratum cardinem quaestionis fuisse [6]). Neque enim quid credamus de dis neque vero quid sciamus, sed quid scire possimus in ius vocatur. Iniuria ea verba postea mutata sunt: vitii originem vel causam intellegas, si audieris

---

et Philodemi ἢ ποῖοί τινές εἰσιν (*de piet.* c. 22, Diels ibid.). Consentit Dielsius II³ 230 in ann.

1) Diels II³ 221, 19=528²: *περὶ θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι οὔτε ὡς εἰσὶν οὔτε ὡς οὐκ εἰσίν.*

2) Diels II³ 221, 3=527².

3) Diels II³ 223, 14=530².

4) Diels II³ 223, 22=530².

5) *De nat. deor.* I 24, 63 et 12, 29 (Diels II³ 226, 7=533²).

6) Cf. Th. Gomperz *Gr. Denk.* I² p. 360.

Diogenem Oen.[1]: Πρωταγόρας δὲ ὁ Ἀβδηρείτης τῇ μὲν δυνάμει τὴν αὐτὴν ἤνεγκε Διαγόρᾳ δόξαν, ταῖς λέξεσιν δὲ ἑτέραις ἐχρήσατο, ὡς τὸ λείαν ἰταμὸν αὐτῆς ἐκφευξούμενος. ἔφησε γὰρ μὴ εἰδέναι εἰ θεοὶ εἰσίν· τοῦτο δ' ἐστὶν τὸ αὐτὸ τῷ λέγειν εἰδέναι ὅτι μὴ εἰσίν.

Qua de causa pro ἀθέῳ habitus sit Protagoras.

Quam falsum hoc sit, vix demonstrare opus est. At vulgus sic concludere consentaneum[2]; neque mirum eum pro ἀθέῳ habitum Atheniensium iussu urbe atque agro exterminatum esse[3], libros in contione combustos; licet ex Sexti verbis[4]) appareat sic non ab omnibus iudicatum esse (κατά τινας). Melius Plato sophistam intellexisse videtur, cum et mythum illum divinum atque omnino ab ἀθέῳ alienum recitantem eum induceret (*Prot.* 320 C sqq.), et in *Theaeteto* (162 D) faceret dicentem: δημηγορεῖτε συγκαθεζόμενοι θεούς τε εἰς τὸ μέσον ἄγοντες, οὓς ἐγὼ ἔκ τε τοῦ λέγειν καὶ τοῦ γράφειν περὶ αὐτῶν, ὡς εἰσὶν ἢ ὡς οὐκ εἰσίν, ἐξαιρῶ[5]). Rectissime haec. Quae nec credere nec demonstrare possumus, in docta disputatione nil valent. Biantis est: περὶ θεῶν λέγε ὡς εἰσίν[6]). Alii simpliciter negaverunt deos esse. Protagoras dubitanter rogavit quatenus demonstrari possit deos exstare, quid de eis non credere, sed scire possimus.

Verus 'theologus' fuit.

Nonne hoc revera studium est theologicum? In quo semper principalis et fuit et est quaestio quid de Dei exsistentia nobis affirmare liceat[7]).

1) Diels II³ 226, 13=534².

2) Neque est cur cum Heinrico Gomperz tantummodo ex „sceptica" ratione rem rhetorice tractandi fatum libri auctorisque explicandum esse censeamus (p. 131 et ibid. n. 288).

3) Cic. *de nat. deor.* I 24, 63.

4) Diels II³ 223, 13=530²; cf. Cic. *de nat. deor.* I 1, 2; 12, 29; 42, 117.

5) Cf. H. Maier *Socrates* p. 253.

6) Diels II³ 217, 3=523².

7) Praestat itaque Protagoram appellare primum theologum quam Hesiodum, ut facit W. Nestle *Die Vorsokratiker* p. 8.

Quid H. Gomperz de compositione libri ʻΠερὶ Θεῶν' iudicaverit.

Supra iam monui de toto libro Περὶ Θεῶν hoc tantummodo statui posse, verisimile esse Protagoram in utramque partem disputavisse [1]), δύο λόγους ἀντικειμένους ἀλλήλοις exposuisse. Sed obstipui cum legerem apud Heinricum Gomperz (p. 132): *„darin allein liegt „schon dass der älteste der Sophisten die Rhetorik ebenso „formal auffasste wie seine Nachfolger"*, et paulo infra (p. 133): *„damit ist der formale Charakter der Rhetorik „mit Bewusstsein als allgemeines Prinzip proklamiert."* Unde haec? Ponit id ipsum, quod erat demonstrandum! Sed demonstrari non potest. Itaque quicumque in utramque partem disserit, sententias oppositas affert et perpendit [2]), colitne nil nisi inanem rhetoricam? Quid tandem putabimus librum Protagorae Περὶ Θεῶν fuisse? An παίγνιον tantummodo, sicut Gorgiae ʻΕλένης ἐγκώμιον? At propter ludum nescioquem virum tanta auctoritate et tot insignium virorum amicitia munitum Athenis expulsum esse, hoc nemo est qui credat.

Quomodo studiis theologicis profuerit Protagoras.

Haec igitur mittamus, et Protagoram theologiae fundamenta iecisse statuamus. Notandum eum non negare quicquam de eis sciri posse. Sed rem obscuram et vitam hominum brevem esse monuit. Posterioribus itaque diligenter in rem inquirentibus fortasse eventurum ut verum de dis cognoscerent. Impugnabat tantum ea quae eius temporibus de dis existimabantur, ut bene exposuit W. Nestle [3]). Quodsi fortasse perpauca invenit digna quae respiciantur,

1) Cf. Senecam *Ep.* 88,43: Diels II[3] 225,9=532[2].

2) Opiniones ponderare et omni re perpensa aliam alii praeferre a Protagora non alienum fuisse ipse H. Gomperz indicavit in ea parte operis (p. 133—196), quae maxima laude mihi digna videtur. Παράδοξον autem inde oriri (nam veri rhetoris id non esse quivis videt) ipse quoque intellegit (p. 196); sed (ecce deus ex machina!) statim audimus id tamen absonum non esse, cum ipsius nostri sophistae natura *παράδοξος* sit (p. 197. 272). Bene ex hisce mihi illustrari videtur quam sit periculosum velle *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν*!

3) Ed. *Prot.* praef. p. 16.

hanc ob causam certe laudandus est, quod aequales vel comprobantes se vel impugnantes dubitationibus suis ad eiusmodi res accuratius tractandas incitabat. Cuius rei testimonia non desunt. Probavit W. Nestle[1]) eum in primis τέχνῃ μαντικῇ adversatum esse, quam Sophocles tunc in *Oedipode Rege* vehementer defendebat[2]) (cf. Her. VIII 77; *Ant.* 1050, 1242), Euripides debilitaverat (*Hel.* 757: γνώμη δ'ἀρίστη μάντις ἥ τ'εὐβουλία, cf. *Prot.* 318 E); et statuisse deos per homines pollui non posse[3]); quocum consentit Euripides (*Hel.* 1232), non consentit Sophocles (*Antig.* 1043).

Haec satis sunto de Protagorae Περὶ Θεῶν. At non reticendum apud primum theologum iam inveniri sententiam, quae finem religionis paganicae praedicat: homines per se nihil umquam de deis scire posse.

Iam a Diogene[4]) liber Περὶ τῶν ἐν Ἅιδου Protagorae tribuitur. Cum tamen idem sit libelli Democritei titulus[5]), ad locum Diogenis annotat H. Diels[6]): „*vermutlich Verwechslung der beiden Abderiten.*" Quocum facere non possum: non video cur et Democritum et Protagoram eadem de re scripsisse negemus. Constat e.g. etiam de ὀρθοεπείᾳ utrumque scripsisse (Diog. Laert. IX 13 et Plat. *Phaedr.* 267 C). Aequales sane Protagoras et Democritus erant, atque etiam studiis consimiles[7]). Rectius itaque Friedel mihi iudicasse videtur, scribens[8]) quae de hoc a veteribus tradita sint, eadem fere ad illum

De libro Περὶ τῶν ἐν Ἅιδου.

Quid v.d. Friedel de eo senserit.

1) *Sophocles und die Sophistik* (*Class. Philology* V 2, Apr. 1910, p. 129—157).

2) ibid. p. 146 sqq.

3) ibid. p. 139/40; de hac quaestione apte conferatur Plut. *Per.* c. 36.

4) IX 55: Diels II³ 220, 15=527²; 231, 17=539².

5) Athen. IV 168 B: Diels II³ 55, 5=384²; cf. Proclum, infra laudatum.

6) ad II³ 231, 17.

7) Ille etiam huius discipulus dicitur (Diels II³ 221, 16 et 28=528²); sed obstat temporum ratio.

8) *De Sophistarum studiis Homericis*; in *Dissert. Phil. Hal.* vol. I (1873) p. 134 sqq.

transferri posse. Qui cum bene ea exposuerit, verba eius exscribere lubet: „Dicit Proclus [1]: τὴν μὲν περὶ τῶν ἀποθανεῖν „δοξάντων, ἔπειτα ἀναβιούντων ἱστορίαν ἄλλοι τε πολλοὶ τῶν „παλαιῶν ἤθροισαν καὶ Δημόκριτος ὁ φυσικὸς ἐν τοῖς Περὶ „τοῦ Ἅιδου γράμμασιν, et paulo infra Democritum πῶς „τὸν ἀποθανόντα πάλιν ἀναβιῶναι δυνατόν interrogasse narrat. „Unde Mullachius Democritum hoc libro fabulas poetarum „(et Homeri) ingeniis inventas atque ab imperita multitu- „dine multis inde saeculis creditas refutasse conicit. Atque „illas de hominibus reviviscentibus pervulgatas et a scrip- „toribus saepius tractatas fuisse ex testimoniis a Mullachio „congestis apparet. Exemplum exstat in Platonis Republica „(614 B sqq.) ubi Er Armenius die duodecimo reviviscit et „quae apud deos viderit narrat. Similiter Democritum et „Protagoram libris suis hominum qui revixissent et fabulas „mirandas de inferis (τὰ ἐν Ἅιδου) rettulissent historiam „persecutos esse, tum quomodo hoc fieri potuisset quaesivisse, „denique fabulas illas refutasse arbitror". Res divinas sane tractabat libellus; sed utrum studia theologica ea fuerint necne cum ex uno titulo diiudicari non possit, a coniecturis inutilibus abstinendum est. Ad reliquos transeamus sophistas.

De Prodici studiis theologicis.

De sententia quam de deis protulerit: res utiles habitos esse deos.

Sextus Empiricus in numero virorum ἀθέων etiam Prodicum [2] nominat; qui sane de dis sententiam videtur protulisse satis mirabilem et difficilem iudicatu. Quattuor de ea habemus testimonia, quae H. Gomperz (p. 113 sqq.) inter sese comparavit. Bene ea distinxit: attamen postre-

1) Diels II³ 55, 9.

2) *Adv. Math. IX* 51 (locus qui deest apud Dielsium in ed. IIa, quod iure queritur H. Gomperz p. 114 n. 252, in ed. IIIam receptus est II³ 275, 7) *μὴ εἶναι δὲ* (sc. *θεὸν ἐνόμισαν*) *οἱ ἐπικληθέντες ἄθεοι καθάπερ Εὐήμερος . . . καὶ Πρόδικος ὁ Κεῖος*. Rectissime vero probat H. Gomperz (p. 115 sq.) inter *ἀθέους* sophistam numerandum non esse, conferens locos Themistii et Persaei (vide infra p. 37 sq.), et monens quod Prodicus taceat de Iove id illa ratione vix explicari posse. Qua in re ei adstipulor; cf. W. Nestle *Die Vorsokratiker* p. 80; H. Maier *Sokrates* p. 253.

mum id tantummodo spectasse mihi videtur, ut thesin suam probaret. Sextum [1]) ipsius sophistae verba referre verisimile est: Πρόδικος δὲ ὁ Κεῖος 'ἥλιον', φησί, 'καὶ σελήνην καὶ ποταμοὺς καὶ κρήνας καὶ καθόλου πάντα τὰ ὠφελοῦντα τὸν βίον ἡμῶν οἱ παλαιοὶ θεοὺς ἐνόμισαν διὰ τὴν ἀπ' αὐτῶν ὠφέλειαν, καθάπερ Αἰγύπτιοι τὸν Νεῖλον', καὶ διὰ τοῦτο τὸν μὲν ἄρτον Δήμητραν νομισθῆναι, τὸν δὲ οἶνον Διόνυσον, τὸ δὲ ὕδωρ Ποσειδῶνα, τὸ δὲ πῦρ Ἥφαιστον καὶ ἤδη τῶν εὐχρηστούντων ἕκαστον. Prodicum itaque praedicavisse id quod nunc appellamus 'fetischismum', ex hisce verbis apparet [2]). Bene ad haec quadrant, quae leguntur apud Philodemum et Ciceronem, quorum uterque Persaeum exscripsit. Verba Philodemi [3]) haec sunt: Περσαῖος δὲ δῆλός ἐστιν . . . ἀφανίζων τὸ δαιμόνιον ἢ μηθὲν ὑπὲρ αὐτοῦ γινώσκων, ὅταν ἐν τῷ Περὶ θεῶν μὴ ἀπίθανα λέγῃ φαίνεσθαι τὰ περὶ ⟨τοῦ⟩ τὰ τρέφοντα καὶ ὠφελοῦντα θεοὺς νενομίσθαι καὶ τετειμῆσθαι πρῶτον ὑπὸ Προδίκου γεγραμμένα, Ciceronis haec [4]): „Quid? Prodicus Cius, qui ea quae prodessent hominum vitae deorum in numero habita esse dixit, quam tandem religionem reliquit?" et paulo supra [5]): „Persaeus... eos dicit esse habitos deos, a quibus magna utilitas ad vitae cultum esset inventa, ipsas res utiles et salutares deorum esse vocabulis nuncupatas." Neque ab his locis dissentiunt verba Themistii [6]): τὴν Προδίκου σοφίαν — ὃς ἱερουργίαν πᾶσαν ἀνθρώπου καὶ μυστήρια καὶ τελετὰς τῶν γεωργίας καλῶν ἐξάπτει, νομίζων καὶ θεῶν ἔννοιαν ἐντεῦθεν

Testimonia vetera: Sexti,

Philodemi,

Ciceronis,

Themistii.

---

1) *Adv. Math.* IX 18: Diels II³ 275,2=571².

2) W. Nestle *Die Vorsokratiker* p. 80; cf. Sext. l.l. § 52 (Diels II³ 275,8=571²): *Πρόδικος δὲ τὸ ὠφελοῦν τὸν βίον ὑπειλῆφθαι θεόν, ὡς ἥλιον καὶ σελήνην καὶ ποταμοὺς καὶ λίμνας καὶ λειμῶνας καὶ καρποὺς καὶ πᾶν τὸ τοιουτῶδες.*

3) *De piet.* 9, 7: Diels II³ 274, 26=571².

4) *De nat. deor.* I 37, 118: Diels, ibid.

5) *De nat. deor.* I 15, 38: Diels ibid.

6) *Or.* 30: Diels II³ 275, 10=571².

εἰς ἀνθρώπους ἐλθεῖν. Qui omnes loci testantur Prodicum *res utiles* pro dis habuisse.

Dissentiunt viri docti an inventores quoque rerum utilium ab eo dei habiti sint.

Incertum autem addubitatumque est an Prodicus eos quoque iudicaverit deos a quibus τροφαί et σκέπαι et τέχναι ad vitae cultum utiles essent inventae. Affirmant Th. Gomperz (*Gr. Denk.* I² 346), et W. Nestle (*Vorsokr.* p. 80; praef. ed. *Prot.* p. 20), qui eum duos gradus religionis nascentis distinxisse putat; negat H. Gomperz [1]. Difficultas latet in Philodemi verbis, quae supra allata excipiunt: μετὰ δὲ ταῦτα τοὺς εὑρόντας ἢ τροφὰς ἢ σκέπας ἢ τὰς ἄλλας τέχνας ὡς Δήμητρα καὶ Διόνυσον κτλ. Suntne haec *Prodici* an *Persaei?*

Interpretatio loci Philodemi

Ad quod diiudicandum loci Ciceronis et Sexti nihil valent, id quod opinatus est H. Gomperz. Locum autem Philodemi qui perleget nullis aliorum opinionibus obnoxius aut subiectus, omnia quae leguntur post φαίνεσθαι, quaeque ex ea voce pendent etiam postrema, Prodico attribuet. Nec vident qui aliter censent se Persaeum dicentem fecisse sibi non incredibilia videri — ea quae ipse scripserit. Quod absurdum. Ne per grave quidem anacolouthon (nam tum verba μετὰ δὲ ταῦτα κτλ. cum λέγῃ, non cum φαίνεσθαι, iungenda essent) ultima pars Persaeo tribui potest: verba autem μετὰ δὲ ταῦτα aperte respiciunt illud πρῶτον, quod a verbis ὑπὸ Προδίκου γεγραμμένα seiungi omnino nequit [2]. Sed optime sic verba se habent,

---

1) P. 113 n. 251; nec mirum, nam minime convenit cum eius thesi.

2) Neque intellego Heinricum Gomperz l.l: „*in welchem Falle* πρῶτον *auf* τετειμῆσθαι *bezogen werden muss.*" Immo non potest, mea quidem sententia. Ceteroquin in verba Guilelmi Nestle video me iurare, qui eundem contextus nexum tam ex ipsis verbis probavit, quam allato Minucii Felicis loco (qui deest apud Dielsium) *Oct.* 21, 2: „Prodicus adsumptos in deos loquitur, qui errando inventis novis frugibus „utilitati hominum profuerunt. In eandem sententiam et Persaeus philo„sophatur et adnectit inventas fruges et frugum ipsarum repertores isdem „nominibus." Cf. totam eius argumentationem, *Philolog.* 77 (1908) p. 556 sqq.

quamvis opinio Nestlii[1]) de duobus gradibus religionis nascentis accipienda non videtur. Indicant enim Prodicum bis (vel etiam saepius) de origine deorum scripsisse, primo (πρῶτον) perhibentem ipsas res utiles et salutares habitos esse deos, postea (μετὰ δὲ ταῦτα) et ipsos inventores earum rerum.

Quid de eo statuendum videatur.

Sic quoque intellegimus et Ciceronem (*de nat. deor.* I 37, 118) et Sextum ei priorem tantummodo attribuisse sententiam. Utrumque librum legit Persaeus; hunc Cicero exscripsit altero loco (*de nat. deor.* I 15, 38), omisso tamen Prodici nomine. Nec vero quicquam obstat, quominus Prodicum diversa de deorum origine perhibuisse accipiamus. Etenim inter sophistas secundum locum tenebat[2]). Non is erat, qui unam thesin diligenter et accurate excogitatam poneret variisque modis stabilire conaretur. Hinc neque H. Maier audiendus est in libro supra laudato[3]) ita dicens: „*das ist ein Atheismus der über den des Protagoras noch* „*beträchtlich hinausgeht*", neque H. Gomperz, qui mirabili usus argumentatione[4]) verba Prodici censet esse (p. 117): „*eine harmlose Aeusserung*" eumque „*kein religionsphiloso-* „*phisches Interesse*" habuisse perhibet. Ipsam eius theologicam doctrinam explicare nobis non contigit. Quid igitur statuendum? Et cogitavit et disseruit et scripsit Prodicus de origine deorum, quod vel ex Aristophanis versibus patet[5]), qui clare indicant ea, quae Prodicus de origine deo-

Prodici studiorum theologicorum conclusio.

---

1) Cf. etiam W. Nestle *Herodot's Verhältniss zur Philosophie und Sophistik* (*Programm Schönthal* 1908) p. 22; et *Philol.* l.l.

2) Personam Prodici et qua de causa a Platone cum Tantalo comparetur bene adumbravit A. R. v. Kleemann *Platon und Prodikos, Wiener Eranos* (1909), p. 38 sqq.

3) *Socrates* p. 253.

4) Ineptum videtur quod dicit: „*Es kommt nämlich alles darauf an, was der Keer — eigentlich beweisen wollte.*"

5) *Aves* 690 sqq. (cf. *Nubes* 360); versus spectat H. Gomperz alio loco, p. 111, quamquam huc pertinent.

rum docuerit, Athenis omnium in ore fuisse et vulgo innotuisse [1]. Unum certe fontem recte aperuit: ea, quae hominum vitae prosint, deorum in numero habita esse. Deos itaque ab hominibus inventos, vel si mavis creatos, ut essent quibus gratias pro tot tantisque beneficiis agere possent. Neque eos fuisse antequam terra crearetur. Νόμῳ itaque esse non φύσει. Quod autem postea inventores earum rerum pro dis habuit, potius indicasse videtur eos φύσει esse.

Sed antequam altius in hanc rem inquiramus [2] paucis verbis indicandum, quid ceteri sophistae de rebus divinis iudicaverint. Duo enim supersunt, quorum studia theologica memorantur.

De Thrasymacho.

Non multum efficitur ex Thrasymachi fragmento [3]: οἱ θεοὶ οὐχ ὁρῶσι τὰ ἀνθρώπινα· οὐ γὰρ ἂν τὸ μέγιστον τῶν ἐν ἀνθρώποις ἀγαθῶν παρεῖδον τὴν δικαιοσύνην· ὁρῶμεν γὰρ τοὺς ἀνθρώπους ταύτῃ μὴ χρωμένους. Quae verba ἔγραψεν ἐν λόγῳ ἑαυτοῦ [4]. Commentarius ille magis de iure et iniuria (περὶ τῆς δικαιοσύνης) egisse videtur, quam de dis (περὶ θεῶν). Sed cum ceteroquin easdem quas Critias partes egerit eum hac quoque in re cum illo consentire credere licet.

De Critia.

De Critia vero plura statui possunt. Servatum enim est fragmentum Sisyphi σατυρικοῦ, a Wilamowitzio Critiae vindicatum [5], quod totum exscribere haud inutile nec lectoribus molestum sit [6]:

Fragmentum eius de origine deorum.

ἦν χρόνος, ὅτ' ἦν ἄτακτος ἀνθρώπων βίος
καὶ θηριώδης ἰσχύος θ' ὑπηρέτης,
ὅτ' οὐδὲν ἆθλον οὔτε τοῖς ἐσθλοῖσιν ἦν•

1) Cf. F. Lortzing *Bursians Jahrb.* 1913, p. 142 sq.

2) Synthesis quaedam inter duo opposita *φύσιν* et *νόμον* saepius nobis apud sophistas notanda erit: vide infra conclusionem huius libelli p. 129.

3) Diels II³ 282, 3=579². De hoc fragmento cf. W. Nestle *Philol.* 1908, p. 559.

4) Diels ibid.

5) Cf. *Neue Jahrb. f.d. Klass. Altert.* 21 (1908) p. 57. De Critia inprimis legas quae scripsit W. Nestle ibid. 11 (1903) p. 81 sqq., 178 sqq.

6) Diels II³ 320, 14=620².

οὔτ᾽ αὖ κόλασμα τοῖς κακοῖς ἐγίγνετο.
κἄπειτά μοι δοκοῦσιν ἄνθρωποι νόμους
θέσθαι κολαστάς, ἵνα δίκη τύραννος ῇ
⟨ὁμῶς ἁπάντων⟩ τήν θ᾽ ὕβριν δούλην ἔχῃ·
ἐζημιοῦτο δ᾽ εἴ τις ἐξαμαρτάνοι.
ἔπειτ᾽ ἐπειδὴ τἀμφανῆ μὲν οἱ νόμοι
ἀπεῖργον αὐτοὺς ἔργα μὴ πράσσειν βίᾳ,
λάθρᾳ δ᾽ ἔπρασσον, τηνικαῦτά μοι δοκεῖ
⟨πρῶτον⟩ πυκνός τις καὶ σοφὸς γνώμην ἀνήρ
⟨θεῶν⟩ δέος θνητοῖσιν ἐξευρεῖν, ὅπως
εἴη τι δεῖμα τοῖς κακοῖσι, κἂν λάθρᾳ
πράσσωσιν ἢ λέγωσιν ἢ φρονῶσί ⟨τι⟩.
ἐντεῦθεν οὖν τὸ θεῖον εἰσηγήσατο,
ὡς ἔστι δαίμων ἀφθίτῳ θάλλων βίῳ,
νόῳ τ᾽ ἀκούων καὶ βλέπων, φρονῶν τ᾽ ἄγαν
προσέχων τε ταῦτα, καὶ φύσιν θείαν φορῶν,
ὃς πᾶν τὸ λεχθὲν ἐν βροτοῖς ἀκούσεται,
⟨τὸ⟩ δρώμενον δὲ πᾶν ἰδεῖν δυνήσεται.
ἐὰν δὲ σὺν σιγῇ τι βουλεύῃς κακόν,
τοῦτ᾽ οὐχὶ λήσει τοὺς θεούς· τὸ γὰρ φρονοῦν
⟨ἄγαν⟩ ἔνεστι. τούσδε τοὺς λόγους λέγων
διδαγμάτων ἥδιστον εἰσηγήσατο
ψευδεῖ καλύψας τὴν ἀλήθειαν λόγῳ.
ναίειν δ᾽ ἔφασκε τοὺς θεοὺς ἐνταῦθ᾽, ἵνα
μάλιστ᾽ ἂν ἐξέπληξεν ἀνθρώπους λέγων,
ὅθεν περ ἔγνω τοὺς φόβους ὄντας βροτοῖς
καὶ τὰς ὀνήσεις τῷ ταλαιπώρῳ βίῳ,
ἐκ τῆς ὕπερθε περιφορᾶς, ἵν᾽ ἀστραπάς
κατεῖδεν οὔσας, δεινὰ δὲ κτυπήματα
βροντῆς, τό τ᾽ ἀστερωπὸν οὐρανοῦ δέμας,
Χρόνου καλὸν ποίκιλμα, τέκτονος σοφοῦ,
ὅθεν τε λαμπρὸς ἀστέρος στείχει μύδρος,
ὅ θ᾽ ὑγρὸς εἰς γῆν ὄμβρος ἐκπορεύεται.
τοίους δὲ περιέσεισεν ἀνθρώποις φόβους,
δι᾽ οὓς καλῶς τε τῷ λόγῳ κατῴκισεν

τὸν δαίμον᾽ οὔ⟨τος⟩ κἂν πρέποντι χωρίῳ,
τὴν ἀνομίαν τε τοῖς νόμοις κατέσβεσεν.
— — — — — — — — — — —
οὕτω δὲ πρῶτον οἴομαι πεῖσαί τινα
θνητοὺς νομίζειν δαιμόνων εἶναι γένος.

Quid doctrina eius valuerit.

Verba explicationem vix desiderant. Obstupescimus quod talia Athenis coram hominibus dici potuerunt: deos inventos esse ab hominibus, vel ab uno homine callidissimo; deos φύσει non esse, sed tantummodo νόμῳ; non homines a dis, verum hos ab illis creatos esse. Eadem itaque, quae de rebus politicis Critias censebat, in res divinas hic transtulit. Sane audacter. Ipsa fundamenta, quibus hominum societas nitebatur, eiusque originem perscrutari Graeci illius temporis ausi sunt. Illud: „tu ne quaesieris" de nulla iam re admittebant. Supra monuimus Sophoclem aliosque periculum nimis liberorum studiorum perspexisse:

τὰ μὲν διδακτὰ μανθάνω, τὰ δ᾽ εὑρετὰ
ζητῶ, τὰ δ᾽ εὐκτὰ παρὰ θεῶν ᾐτησάμην [1]).

Sed omnia tunc εὑρετά, διδακτά esse videbantur. Spernendane itaque sunt et parvi pendenda studia sophistarum, quibus novas vias ad detegenda religionis primordia aperire conati sunt? Minime. Quod ut potero perspicue et breviter indicare conabor.

A quo initio profecta ac quibus rationibus progressa sit religio;

Religio, quam nulli defuisse populo constat inter omnes, apud homines antiquos versatur in cognitione deorum, atque praesertim docet quonam modo sint pacandi. Antiquissimorum autem populorum religionem cum consideramus, mox apparet

apud antiquissimos populos;

multum interesse utrum apud se quisque tantummodo deos putet vigere, an totum mundum eorum dicioni subiectum esse arbitretur [2]). Hi sunt populi, per quos genus humanum maiores animi virtutes acquisivit altioresque sumpsit spiritus;

1) Fragm. 759; cf. W. Nestle *Sophocles und die Sophistik* l.l.

2) Hanc differentiam iam a Rankio notatam esse monet P. Rohrbach *Die Geschichte der Menschheit*, p. 57.

qui rerum progressui maxime profuerunt, et ad cultiorem vitae usum sese aliosque traduxerunt; illi omnis fere cultus et humanitatis expertes et fuerunt et semper erunt. Quod inter alios de Aegyptiis, Babyloniis, Assyriis, Judaeis breviter exposuit P. Rohrbach[1]).

apud Graecos.

Graecorum deos antiquitus certis singulorum populorum finibus circumscriptos ac definitos fuisse scimus. Sed mox conati sunt Graeci provinciam eorum in alios quoque populos extendere. Primi hi conatus apud Homerum inveniuntur. Quem secuti sunt poetae tragici. Idem deinde sophistae mihi contendisse videntur; atque hoc quoque, ut ethicas praesertim deorum facultates illustrarent; neque eis assignandum est, quod eorum temporum Graeci numquam ad eum religionis gradum pervenerunt cui 'morales' sunt dei, iidemque mundi universi domini nec singulorum populorum patroni custodesque, quos alii negent exstare, alii affirment. Identidem monuerunt deos Δίκην et Αἰδῶ universis hominibus dedisse, quarum neminem expertem esse iusserit Iuppiter: πάντες μετεχόντων· καὶ νόμον γε θὲς παρ' ἐμοῦ τὸν μὴ δυνάμενον Αἰδοῦς καὶ Δίκης μετέχειν κτείνειν ὡς νόσον πόλεως. Ut mirus ille Protagorae mythus (Plat. *Prot.* 322 C. sqq.) docet. Eodem pertinent quae discimus tam ex fragmento Critiae supra allato (p. 40 sq.), quam ex fabula Prodici de Hercule inter Ἀρετήν et Κακίαν dubitante (Xen. *Mem.* II 1, 21—34).

De sophistarum studiis theologicis.

Sed haec hactenus de studiis theologicis. Unum superest. Monuimus antithesin νόμῳ — φύσει hic quoque posuisse inter sophistas inprimis Critiam; nec vestigia huius antitheseos desunt apud Protagoram Prodicumque. Quibus propius ad veritatem religionis cognoscendam huius temporis viri docti[2])

---

1) l.l. p. 57 sqq.; conferas quae supra p. 29 scripsimus.

2) Lectorem refero ad libellum viri d. J. R. Slotemaker de Bruine *Het geloof aan God in de 20e eeuw* (p. 119: „*de groote moed, waarmee de Schrift nadrukkelijk dualistisch is*", quod exemplis demonstrat; p. 130: „*Daarmee staan wij op de hoogst bereikbare hoogte. Een volledige oplossing is hier niet. De tweeheid blijft.*")

vix videntur accessisse. Neque possunt. Quousque νόμῳ est religio eam penitus cognoscere et intellegere hominibus datum est. Quae autem φύσει sunt, de iis celamur. Ἐκ μέρους γὰρ γινώσκομεν [1].

---

§ 2. De sophistarum studiis philologicis.

ἡ δὲ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐστι πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα.
Auctor περὶ ὕψους.

De studiorum philologicorum apud Graecos primordiis.

Iam ab antiquissimis temporibus Graeci studiis philologicis quae dici possunt sese applicaverunt. Ipsa verba, quibus iuxta positis, eleganter et perite iunctis, vel carmina praeclara nasci videbant homines, illud „mirari" excitaverunt, quod philosophandi est initium [2]. Orationem enim si vim habere vis, non tantum mentis sensum recte exprimas necesse est, sed etiam verba adhibeas et aptissima et pulcherrima, quae mirabili quadam vi, quae in iis latere videtur, cogitationes alterius ad alterum transmittere possint.

De Heraclito primo philologo.

Heraclitus ὁ Σκοτεινός, qui primus hanc singulorum vocabulorum vim perspexit, fundamenta iecit artis philologicae [3], notione 'τοῦ λόγου' in philosophiam introducta: τοῦ δὲ λόγου τοῦδ' ἐόντος ⟨ἀεὶ⟩ ἀξύνετοι γίγνονται ἄνθρωποι καὶ πρόσθεν ἢ ἀκοῦσαι καὶ ἀκούσαντες τὸ πρῶτον· γινομένων γὰρ ⟨πάντων⟩ κατὰ τὸν λόγον τόνδε ἀπείροισιν ἐοίκασι, πειρώμενοι καὶ ἐπέων καὶ ἔργων τοιούτων, ὁκοίων ἐγὼ διηγεῦμαι [4].

---

1) I *Cor.* 13 v. 9.

2) Aristot. *Met.* I 2, cf. Plat. *Theaet.* 155 D: *μάλα φιλοσόφου τοῦτο τὸ πάθος, τὸ θαυμάζειν· οὐ γὰρ ἄλλη ἀρχὴ φιλοσοφίας ἢ αὕτη.* Praesertim in discendo hoc magis prodest quam Horatii illud nil admirari (*Ep.* I 6, 1).

3) Conf. H. Diels *Die Anfänge der Philologie bei den Griechen* (*Phil. Vers. Graz,* 1909; *Neue Jahrb. f. d. klass. Altert.* 25 (1910), p. 1 sqq.).

4) Fragm. 1: Diels I² 61, 30.

Quam notionem non solum metaphysice, sed etiam philologice adhibuit [1]), ut inde apparere videtur quod voces fere consonas (βίος et βιός; ξυνῷ et ξυννόῳ) inter se comparavit [2]).

De studiis etymologicis.

Sic grammatices mox excitata sunt studia, in primis etymologica [3]), quorum principia [4]) iam apud Homerum invenimus (e.g. α 62, τ 407, Z 403). Crescente verborum vi ac ratione, φύσει, i.e. divina quadam origine nec humana, ea orta esse, et mira quadam vi quasi sui signum in priscorum hominum mentes impressisse credebantur nomina. Audiendus est Dielsius (l.l. p. 6): *„Diese Anschauung, dass die „Namen und im allgemeinen die Worte über die Gedanken „der primitiven Menschen Aufschluss gäben und so womög„lich die Wahrheit der Dinge selbst enthüllten, liegt der „unaustilgbaren nominalistischen Richtung der menschlichen „Betrachtung so nahe, dass man sich nicht wundern darf, „dass sie als die erste philologische Richtung erscheint und „Anhänger gewinnt."* Etiam Plato, ut discimus ex dialogo qui *Cratylus* inscribitur [5]), etymologica studia haudquaquam aspernatus est; quamquam mox intellexisse videtur ad veram excolendam philosophiam ea non sufficere, vel omnino nullius esse utilitatis [6]).

De antithesi φύσις-νόμος ad linguae originem applicata.

Nam ut in ceteris rebus, sic hac in re antithesis illa celeberrima φύσις-νόμος cernitur, auctore Parmenide [7]), acerrimo illo Heracliti adversario. Pauca eius expromere libet dicta: τοῖς δ' ὄνομ' ἄνθρωποι κατέθεντ' ἐπίσημον ἑκάστῳ

---

1) H. Diels *Neue Jahrb.* l.l.

2) Fragm. 48 et 114: Diels I² 69, 2 et 78, 2.

3) De hac tota re cf. F. Muller J. fil. *de veterum imprimis Romanorum studiis etymologicis* Pars I (diss. 1910) p. 4 sqq.

4) R. Hecht *de etymologiis apud poetas Graecos obviis* (diss. Königsberg 1882).

5) F. Muller l.l. p. 6.

6) Vide Plat. *Cratyl.* 439 B; H. Diels *Neue Jahrb.* l.l. p. 7 n. 2.

7) H. Diels l.l. p. 7 n. 3: *„Das Schlagwort νόμος-φύσις schwebt ihm vor, obgleich er es noch nicht ausspricht."*

(fragm. 19 v. 3: Diels I[2] 125, 9). Humana secundum eum est vis vocabulorum. Tantum abest ut ipsa veritas iis insit ut ne ad vera quidem arguenda quicquam valeant:

τῷ πάντ' ὄνομ(α) ἔσται
ὅσσα βροτοὶ κατέθεντο πεποιθότες εἶναι ἀληθῆ [1]).

Quaeritur igitur utrum verbis ad veritatem accedere possimus necne. Quod magis magisque philosophi posterioris aetatis negavisse videntur. Probavit Dielsius (l. l. p. 9) Democritum posuisse verba νόμῳ esse, non φύσει; cuius opinionis exempla passim in locupleti eius fragmentorum acervo invenies. Unum laudo: ὁ δὲ Δημόκριτος θέσει λέγων τὰ ὀνόματα.... οὐκ ἄρα φύσει τὸ ὄνομα [2]).

Itaque de antithesi illa, quam supra in studiis theologicis notavimus, hic quoque acriter disputatum esse apparet [3]), idque eo vehementius quod ipsa iam veritas in ius vocabatur. Philosophos ante sophistarum tempora vigentes si perleges, huius litis testimonia satis multa tibi occurrent, donec ad Democritum, Protagorae aequalem venias, qui exclamat: omnia νόμῳ sunt, natura nihil est nisi ἄτομα καὶ κενόν [4]); et: ἐτεῇ δὲ οὐδὲν ἴδμεν· ἐν βυθῷ γὰρ ἡ ἀλήθεια [5]).

Democritus originem linguae νόμῳ esse defendit.

Sed aberravimus: agendum de sophistarum studiis grammaticis, ad quae has post ambages, quas tamen alicuius esse momenti infra me demonstraturum spero, iam redeundum. Dielsium nunc ducem mitto [6]), his verbis eius ultimis laudatis (p. 11): *„Die Sophisten hatten aus der philosophischen*

1) Fragm. 8 v. 38 sq.; Diels I[2] 120, 17, qui vertit: *„darum muss es alles leerer Schall sein was die Sterblichen in ihrer Sprache festgelegt haben, überzeugt es sei wahr."*

2) Fragm. 26: Diels I[2] 395, 20; 22.

3) Antitheton hocce ad linguae originem applicatum post alios tractavit F. Muller l.l. p. 9; cf. Th. Gomperz *Gr. Denk.* I[2] p. 317 sqq.

4) Fragm. 125: Diels II[3] 85, 8 = 408[2].

5) Fragm. 117: Diels II[3] 83, 13 = 407[2]; cf. Cic. *Acad. pr.* II 10, 32: naturam accusa, quae in profundo veritatem, ut ait Democritus, penitus abstruserit.

6) Qui hoc praesertim agit ut demonstret Herodotum de studiis philologicis bene esse meritum (l.l. p. 13 sqq.).

Bewegung des Jahrhunderts ... den Schluss gezogen ... dass das Wort nicht die Wirklichkeit ausdrücken könnte." Quod vellem vel uno testimonio probasset. Re enim accuratius examinata aliter statuendum opinor [1].

De sophistarum studiis grammaticis.

Sophistas quasdam certe grammatices partes accuratius examinasse et tractasse cum aliunde tum ex Platone notum est neque ea studia contemnenda fuisse paucae docent quae nobis supersunt horum studiorum reliquiae [2]: licet de eis quoque valeant verba Wolfii (*prolegg.* p. CLXVII): „primos conatus tales res ad praeceptionem artis revocandi „adeo esse difficiles, ut summis ingeniis in iis labi liceat „honeste, quae uno saeculo post vix tirones impune nesciant."

De Protagora.

Protagoras hac quoque in re ceteris facem praetulisse videtur. Pauca, at memoratu dignissima, sunt verba Aristotelis, qui de graecae linguae dictione disputans inter alia necessaria haec quoque adiecit [3]: τέταρτον, ὡς Πρωταγόρας τὰ γένη τῶν ὀνομάτων διῄρει, ἄρρενα καὶ θήλεα καὶ σκεύη. Tria genera igitur hic primus distinxit, qua de causa nomen 'patris grammaticae' ei vindicavit W. Nestle [4]. Haec autem eum non simpliciter posuisse, sed amplis et accuratissimis studiis nisum protulisse, exemplis illus-

Tria verborum genera primus distinxit.

---

1) Saepius mihi laudandus erit Friedel *de Sophistarum studiis Homericis* (in *Diss. Hall.* I, 1873, p. 130—188); et Spengelii *Συναγωγὴ τεχνῶν sive artium scriptores ab initiis usque ad editos Aristotelis de Rhetorica libros*, Stuttg. 1828, libellus etiamnunc valde utilis. Verba eius p. 40 hic exscribere nostro tempore haud supervacaneum mihi videtur: „sunt quidam viri sagaces magis quam docti, qui grammaticen „improbantes naturae studium et contemplationem vel mathematicen „iuvenes in primis doceri velint; hac enim Graecos grammatices ignaros „tantopere ut nemo eos superaret excelluisse; sed falluntur; Graecos „enim non minus quam nostra fit aetate, magistri, sophistae, rhetores in „rebus erudiebant grammaticis."

2) Diels l.l. p. 12: *„sie gestatten die Vermutung, dass die Sophisten sich erhebliche Verdienste um die Anfänge der griechischen Grammatik erworben haben."*

3) *Rhet.* Γ 5 1407b 6: Diels II³ 227, 18=535².

4) *Die Vorsokratiker* p. 76; ed. *Protag.* Praef. p. 18.

trasse, quo modo sint distinguenda indicasse, vix est quod moneam. Quod vox διαιρεῖν quoque indicare videtur[1]. Praeterea fortuna, quae tam pauca sophistarum fragmenta nobis reliquit — utinam Aegypti terra papyris fertilis illorum quoque nonnullis scriptis nos donet! —, huius doctrinae benigne servavit testimonium. Legitur apud Aristotelem[2]: (σολοικισμός) ἔστι δὲ τοῦτο καὶ ποιεῖν καὶ μὴ ποιοῦντα φαίνεσθαι καὶ ποιοῦνται μὴ δοκεῖν, καθάπερ ὁ Πρωταγόρας ἔλεγεν, εἰ ὁ μῆνις καὶ ὁ πήληξ ἄρρεν ἐστίν· ὁ μὲν γὰρ λέγων 'οὐλομένην' σολοικίζει μὲν κατ' ἐκεῖνον, οὐ φαίνεται δὲ τοῖς ἄλλοις, ὁ δὲ 'οὐλόμενον' φαίνεται μέν, ἀλλ' οὐ σολοικίζει (sc. κατὰ Πρωταγόραν). Res nota est: Protagoras Homerum eo quod vocabula μῆνις et πήληξ feminino neque masculino generi — id quod ipse voluit — tribueret, soloecismi arguit[3].

Terminationes vocabulorum eum hac in re respexisse statuendum.

Antiqui iam dubitaverunt terminationem an significationem respexerit Protagoras. Hermannus[4] verum primus vidisse videtur, loco usus ex Aristophanis *Nubibus* petito (658—690), ubi grammatica sophistarum et maxime Protagorae studia rideri omnes viri docti consentiunt[5]; verba enim sic demum sales habent et ad spectatores valent movendos. Versibus 632 sqq. Socrates magister Strepsiadem discipulum interrogat quid discere velit. Aliud aliam ob causam postquam reiectum est ad extremum venit sophista ad nomina genere suo recte distinguenda:

ἀλλ' ἕτερα δεῖ σε πρότερα τούτων μανθάνειν
τῶν τετραπόδων ἅττ' ἐστὶν ὀρθῶς ἄρρενα (v. 655 sq.).

Deinde Socrates eum vituperat:

τήν τε θήλειαν καλεῖς
ἀλεκτρυόνα κατὰ ταὐτὸ καὶ τὸν ἄρρενα,

---

1) Cf. Plat. *Hipp. Maior* 285 C; *Prot.* 339 A; Aristoph. *Ran.* 1100; *Dial.* 2, 19 (Diels II^3 338, 6=640^2).

2) *Soph. el.* 14. 173b 17: Diels II^3 227, 20=535^2.

3) Soloecismus quid sit docet Aristot. ibid. c. 3. 165 b. 21; et Quinct. *Inst. orat.* I 5, 6. 34. 38; cf. Friedel l.l. p. 135.

4) *Zeitschr. für die Altertumswiss.* 1834 p. 373 sq.

5) Cf. e. g. Leeuwenius in editione sua ad h.l.; Spengel p. 43 accuratius hoc de loco egit; cf. quoque Friedel l.l.

et ipse gallinam non ἀλεκτρυόνα, sed ἀλεκτρύαιναν appellandam esse contendit. Similiter reprehendit:

τὴν κάρδοπον
ἄρρενα καλεῖς, θήλειαν οὖσαν,

et ipse statuit dicendum esse:

τὴν καρδόπην, ὥσπερ καλεῖς τὴν Σωστράτην.

A terminatione igitur Protagoram in hac investigatione profectum esse pro certo stat, quod inde quoque comprobatur quod Aristoteles ipse in eodem capite paulo infra de variis verborum terminationibus agit. Homerum itaque vituperabat quod vocibus quasi terminationem masculinam habentibus genus femininum tribueret [1]. Quaeritur autem per quamnam grammaticae doctrinam sophista ad hanc suam sententiam delatus sit. Quod non facile ist diiudicatu. Sed hoc rogo: tales observationes suntne viri qui verba νόμῳ esse putat, ut vult Dielsius (cf. verba eius supra p. 46 sq. laudata)? Immo vero ex ea ipsa generum verborum distinctione contrarium concludi debere facile perspicitur. Nam si quicquam est quod nos homines φύσει, natura, habemus, id profecto genus est. Hinc [2] Protagoram quadamtenus [3] verba φύσει orta putavisse colligo; et praecepisse ne diversa genera eadem terminatione exprimerentur. Accedit quod Hermogenes, qui verba θέσει nata esse contendit, Protagorae sententiam improbavit [4].

Originem linguae φύσει fuisse professus est.

1) Aliter Th. Gomperz *Gr. Denk.* I^2 p. 356: „*Man hat sie* (sc. *die Aufstellung dass dem Worte μῆνις das männliche Geschlecht zukomme*) *wohl mit Recht dahin verstanden dass der Affekt des Zornes einen mehr männlichen als weiblichen Charakter trage.*"

2) Cf. Schanz *Beitr. zur vorsocr. Phil.* p. 156; Stallbaum ad Plat. *Cratyl.* p. 17. 62 sq.

3) Quadamtenus, inquam, nam ceteroquin ex ὀρθοεπείας eius studiis Th. Gomperz (l. l. I^2 p. 355) et W. Nestle (Praef. *Prot.* p. 18) recte conclusisse mihi videntur Protagoram originem linguae νόμῳ quoque tribuisse. Itaque quod Hippiam Prodicumque fecisse infra videbimus, id fortasse etiam de Protagora valet, eum synthesin inter duo illa opposita suasisse (cf. conclusionem huius libelli, infra p. 129).

4) Friedel l.l. p. 136 n. 21.

Quid ὀρθοέπεια eius fuisse videatur.

Haec omnia autem revera studia grammatica vel philologica dici posse, ut sint rudia et saepe paulo ineptiora, quis est qui neget? Et ea ipsa mihi Protagorae ὀρθοέπεια fuisse videtur, quae in Platonis *Phaedro* (267 C) memoratur [1]. Quo vocabulo hoc tantum loco apud Platonem obvio librum, vel potius argumentum libri Protagorae indicari apparet [2]. Qui si, ut verba antecedentia docent, inprimis de rebus rhetoricis agebat, simul tamen rectum verborum usum tractare potuit.

Verumtamen utut haec sunt nihil valent ad studia eius grammatica infringenda [3]. Et nimia mihi videtur H. Gomperz usus esse audacia scribens: „*Wenn wir uns erinnern, dass* „*wir die Synonymik des Prodikos keineswegs von seinen* „*rhetorischen Interessen loslösen konnten, — so werden wir* „*von vornherein dazu neigen, auch die grammatischen Bestre-*„*bungen des Protagoras analog zu beurteilen*" (p. 198); *Wir* „*würden somit a priori vermuten, Protagoras habe . . . die* „*Grammatik als einen Hilfsgegenstand der Rhetorik gelehrt.* „*Was wir aber so vermuten würden, wird uns durch die* „*beste Quelle ausdrücklich bestätigt. Denn wo Platon die* „*Sprachrichtigkeit des Protagoras gedenkt (Phaedr. 267 C),* „*zählt er sie in einer Reihe mit lauter rhetorischen Kunst-*„*griffen älterer Redekünstler auf. — Meine Ableitung der* „*Protagoreischen Grammatik — darf ich daher wohl als* „*gesichert betrachten*" (p. 199).

---

1) Locum integrum exscripsit Diels II^3 226, 31=534^2. De significatione vocis '*ὀρθοέπεια*' conferas quaeso Friedel l.l. p. 137 et Spengel l.l. p. 41; cf. Th. Gomperz *Gr. Denk.* I^2 p. 355 et Quint. I 5, 33. Recte loquendi ratio est.

2) Pronomen indefinitum *τις* (l.l.) impedit quominus '*ὀρθοέπειαν*' titulum libri fuisse putemus.

3) Non ignoro plerosque putare Protagoram etiam verbi tempora distinxisse (e. g. W. Nestle *Praef. Prot.* p. 18; *Th. Gomperz Gr. Denk.* I^2 p. 355; Zeller l. l. p. 932; Hermannus p. 381). Sed Diogenis verba IX 52 (Diels II^3 219, 26=526^2) aliter explicanda esse infra demonstrabimus (p. 112 sqq.).

IV distinxit genera dicendi.

Colligitur porro ex Diogene Suida Quintiliano[1] Protagoram quattuor genera dicendi distinxisse εὐχωλήν, ἐρώτησιν, ἀπόκρισιν, ἐντολήν, i.e. precandi, interrogandi, respondendi, mandandi genus[2], quae quasi dicendi fundamenta πυθμένας λόγου vocaverit. Nihil nunc nos moratur quaestio spectetne haec divisio rhetoricam artem an grammaticam[3]. A rhetorica fortasse profectus grammaticae regiones attigit (Friedel p. 142). Etenim utramque artem, tam arto vinculo cum altera coniunctam, ad philologica de quibus agimus studia pertinere vix est monendum. Cohaeret quoque, ut docet locus Aristotelis[4], quaestio de poetis interpretandis, de qua infra. Hoc nunc animadvertendum, omnium studiorum principium esse artem bene distinguendi. „Qui bene distinguit bene docet." Ergo Protagorae, qui et singula verba et genera sententiarum distinguendi prima iecit fundamenta, de studiis philologicis optime meritus est.

Protagoras bene meritus est de studiis philologicis.

De sophistarum studiis Homericis.

Priusquam ad ceteros transeam sophistas, hic mihi generatim commemoranda sunt eorum studia poetarum, in primis Homeri. Supra (p. 26) iam memoravi in pueris instituendis principem locum obtinuisse Homerum. Nihil igitur mirandum sophistas, qui διδάσκειν volebant, illius carmina tractasse, argumenta sibi inde sumpsisse. Quae carmina cum interpretabantur facile etiam ab indoctis intellegebantur. „Itaque", ut scribit Friedel (p. 132) „in declama„tionibus (ἐπιδείξεσιν) de rebus et personis ab eo (sc. Homero) „laudatis, vel in hanc vel in illam partem disputabant; locos

Qua de re diserte scripsit Friedel.

---

1) Diog. Laert. IX 53 (Diels^{3} 220, 4=526^{2}); Suidas s. v. Πρωταγόρας; Quint. III 4, 10 (deest apud Dielsium).

2) Unde postea distinctionem modorum (optativi, coniunctivi, indicativi, imperativi) ortam esse vix dicere opus est.

3) Longum est sententias omnium eorum, qui hac de re disputaverunt, singillatem persequi. Diversas attulit et adumbravit Friedel l.l. p. 138, qui huius quaestionis difficultatem bene solvisse mihi videtur.

4) *Poet.* 19, 1456 b, partim apud Dielsium II^{3} 227, 25=535^{2}.

„rem quam volebant probantes afferebant, contraria conti„nentes vituperabant, carmina quanti aestimanda essent „quaerebant, denique ut omnia se scire profitebantur, de „omnibus etiam quae in eum cadere poterant, velut de „patria, aetate, aliis, verba faciebant, et in omnibus his „saepius iam illas quaestiones (ἀπορήματα, προβλήματα, „ζητήματα) attingebant, quas postea grammatici Alexandrini „dedita opera et vi ac ratione tractare et solvere (λύειν) „solebant." Et paulo infra: „atque hoc praecipue ab omnibus „qui ante eos fuerunt philosophis differunt, quod poetam „non solum occasione oblata libris vel orationibus memo„rabant, sed dedita opera in eo interpretando versabantur; „quod non solum ad res, sed etiam ad verba eorumque „significationes i.e. ad grammaticas rationes, non solum ad „singulos locos, sed ad universi carminis indolem, ad senten„tiarum inter se nexum, ad personas ab eo descriptas, ad „poetae consilium illustrandum animum advertebant." Quae omnia si quis melius cognoscere velit ipsam Friedelii perlegat dissertationem; quod si fecisset H. Gomperz, thesin suam vix tam audacter prolaturus fuisse mihi videtur.

De scholio quodam huc pertinente.

De singulorum itaque sophistarum studiis Homericis non iterabo quae summa diligentia collegit Friedel. Sed memoratu dignissimum est quod idem Friedel (p. 133) observavit Alexandrinos haec studia respexisse, ut ex quodam scholiorum loco apparet. Ad Y 269:

ἀλλὰ δύω μὲν ἔλασσε διὰ πτύχας, αἱ δ' ἄρ' ἔτι τρεῖς
ἦσαν, ἐπεὶ πέντε πτύχας ἤλασε κυλλοποδίων

adnotatur: οὗτοι καὶ προηθετοῦντο παρ' ἐνίοις τῶν σοφιστῶν. ἐν ἐνίοις δὲ οὐδὲ ἐφέροντο. „Agitur" ita Friedel „de Aeneae „hasta, qua Achillis scutum partim transfigitur. Iam cum arma „a Vulcano fabricata omnino vulnerari nequeant (ἄτρωτα γὰρ „τὰ ἡφαιστότευκτα συνίσταται), sophistarum nonnulli his ver„sibus notam apposuerunt. Ac si verbum ἀθετεῖν Alexan„drinorum demum tempore usitatum omittimus, haec argu„mentatio optime convenit moribus ingenioque sophistarum,

„nec video cur hos versus ab iis vel ab uno ex iis ut „ineptos reprehensos esse negemus."

De sophistarum interpretatione poetarum.

Qua ratione in poetis interpretandis versati sint[1]), optime ex Platonis *Protagora* (338 E sqq.) perspicitur, ubi potissimum viri ingenui bonarumque artium studiis imbuti esse dicit περὶ ἐπῶν δεινὸν εἶναι· Verba περὶ ἐπῶν non solum ad epica carmina (τὰ ἔπη) pertinere, exemplo carminis Simonidei demonstratur. De cuius carminis interpretatione cum pauca infra in capite tertio (p. 124) dicenda sint, eam nunc mittimus, laudatis tantummodo Lehrsii verbis (p. 40^{3}): „nam quod quasi fundamentum sui commentarii „ponit (sc. Protagoras) illud carmen certo consilio, ad coar„guendam Pittaci sententiam, scriptum esse, quod accura„tissime attendit ad particulam μέν, quod duplicem signifi„cationem vocabuli χαλεπός explicare tentat, haec omnia „bonae iustaeque interpretationis laudabile habent initium."

Quo modo Pindari versus explicaverint.

Quo autem modo sophistae aliorum quoque poetarum locos in suum quisque usum explicarent bene illustratur diversis versuum Pindari nobilissimorum interpretationibus: νόμος ὁ πάντων βασιλεὺς θνατῶν τε καὶ ἀθανάτων ἄγει δικαιῶν τὸ βιαιότατον ὑπερτάτᾳ χειρί (fr. 169). Loquitur poeta secundum doctrinam Orphicam de lege naturam moderante (cf. fr. 126: πάρεδρος γὰρ ὁ Νόμος τοῦ Διός, ὥς φησιν Ὀρφεύς). Hippiae autem (*Prot.* 337 D), ut Herodoto quoque (III 38), usus est rex sive tyrannus Pindaricus; at Callicles (*Gorg.* 484 B) ex illis verbis probare conatur ipsam vim potentioris ius esse[2]); Anonymus denique Iamblichi (fr. 6, 1) νόμον illum τὸ δίκαιον esse perhibet, quod ἐμβασιλεύει τοῖς ἀνθρώποις[3]). Eodem modo in fragmentis quae Dialexeis inscribuntur (3, 12) ex versibus Aeschyli (fr. 301. 302) excusatur ἡ δικαία ἀπάτη[4]).

1) cf. Lehrs *de Arist. stud. Hom.*^{3} p. 40. 199.

2) Plato *Legg.* IV 714 E simile quid laudare videtur: *ἔφαμέν που κατὰ φυσὶν τὸν Πίνδαρον ἄγειν δικαιοῦντα τὸ βιαιότατον, ὡς φάναι.*

3) Diels II^{3} 332, 5=632^{2}; cf. W. Nestle ad Plat. *Prot.* 337 D.

4) Diels II^{3} 340, 1=642^{2}.

Videmus igitur sophistas artem interpretandi, quam iure fundamentum vocant philologiae, non neglexisse. Quam rem neque ridiculam neque parvi esse momenti perspicuum est; etsi grammaticam doctrinam primi inchoantes multis in carminibus offensi sint, quibus explicandis imperfecta ars non sufficiebat.

De Prodici studiis semasiologicis.

Prodicus Ceus[1]) primus quantum scimus de industria et magna dedita opera verborum potestates discriminans proprium eorum sensum usu saepe antiquatum et oblitteratum investigare et hominibus reddere studuit; quem in distinguendis vocabulis similia significantibus subtili et sagaci iudicio verborum vim distinxisse, pauca quaedam quae supersunt diligentiae eius monumenta abunde testantur. Hanc verborum doctrinam scholis praecepit quinquaginta drachmis ab eo aestimatis, teste Socrate in *Cratylo* 384 B[2]): καὶ δὴ καὶ τὸ περὶ τῶν ὀνομάτων οὐ σμικρὸν τυγχάνει ὂν μάθημα. εἰ μὲν οὖν ἐγὼ ἤδη ἠκηκόη παρὰ Προδίκου τὴν πεντηκοντάδραχμον ἐπίδειξιν, ἣν ἀκούσαντι ὑπάρχει περὶ τοῦτο πεπαιδεῦσθαι, ὥς φησιν ἐκεῖνος, οὐδὲν ἂν ἐκώλυέν σε αὐτίκα μάλα εἰδέναι τὴν ἀλήθειαν περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος· νῦν δὲ οὐκ ἀκήκοα, ἀλλὰ τὴν δραχμιαίαν. οὔκουν οἶδα πῇ πότε τὸ ἀληθὲς ἔχει περὶ τῶν τοιούτων. Harum minorum lectionum auditores ὅτε νυστάζοιεν ad audiendum eum excitasse promittentem sese παρεμβάλλειν τῆς πεντηκονταδράχμου αὐτοῖς, iocose docet Aristoteles[3]). Notiones singulas quibus vocabulis exprimerent homines et quidnam inter singula unius notionis vocabula (synonyma quae dicuntur) interesset explanare solebat; sic e.g. ἡδονῆς notionem in plures distinxit

---

1) Multa huius loci debeo Spengelio l.l. 46 sqq. — De Prodico nuperrime egit H. Mayer *Prodikos von Keos und die Anfänge der Synonymik bei den Griechen* (1913); de quo libro cf. W. Nestle *Berl. Phil. Woch.* XXXIV (1914) 33 p. 1027—1029, et H. Mutschmann *Wochenschr. für Klass. Phil.* XXXI (1914) 37 p. 993 sqq.

2) Diels II^3 268, 31=564^2.

3) *Rhet.* Γ 14, 1415 b 12: Diels II^3 268, 36=565^2.

partes de quibus Aristoteles [1]) ἔτι καὶ εἰ αὐτὸ ἑαυτῷ συμβεβηκὸς ἔθηκεν ὡς ἕτερον, διὰ τὸ ἕτερον εἶναι ὄνομα, καθάπερ Πρόδικος διῃρεῖτο τὰς ἡδονὰς εἰς χαρὰν καὶ τέρψιν καὶ εὐφροσύνην· ταῦτα γὰρ πάντα τοῦ αὐτοῦ, τῆς ἡδονῆς, ὀνόματά ἐστιν· εἰ οὖν τις τὸ χαίρειν τῷ εὐφραίνεσθαι φήσει συμβεβηκέναι, αὐτὸ ἂν αὐτῷ φαίη συμβεβηκέναι.

Eodem pertinent loci nonnulli Platonis (e.g. *Euthydem.* 277 E: πρῶτον γάρ, ὥς φησι Πρόδικος, περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος μαθεῖν δεῖ· κτλ.), quos collegit Diels[2]); quorum princeps est qui legitur in *Protagora* 337 A-C, qui locus festivus dignus mihi videtur quem totum adponam: εἰπόντος δὲ αὐτοῦ ταῦτα ὁ Πρόδικος, καλῶς μοι, ἔφη, δοκεῖς λέγειν, ὦ Κριτία· χρὴ γὰρ τοὺς ἐν τοιοῖσδε λόγοις παραγιγνομένους κοινοὺς μὲν εἶναι ἀμφοῖν τοῖν διαλεγομένοιν ἀκροατάς, ἴσους δὲ μή. ἔστι γὰρ οὐ ταὐτόν· κοινῇ μὲν γὰρ ἀκοῦσαι δεῖ ἀμφοτέρων, μὴ ἴσον δὲ νεῖμαι ἑκατέρῳ, ἀλλὰ τῷ μὲν σοφωτέρῳ πλέον, τῷ δὲ ἀμαθεστέρῳ ἔλαττον. ἐγὼ μὲν καὶ αὐτός, ὦ Πρωταγόρα τε καὶ Σώκρατες, ἀξιῶ ὑμᾶς συγχωρεῖν καὶ ἀλλήλοις περὶ τῶν λόγων ἀμφισβητεῖν μέν, ἐρίζειν δὲ μή· ἀμφισβητοῦσι μὲν γὰρ καὶ δι' εὔνοιαν οἱ φίλοι τοῖς φίλοις, ἐρίζουσιν δὲ οἱ διάφοροί τε καὶ ἐχθροὶ ἀλλήλοις. καὶ οὕτως ἂν καλλίστη ἡμῖν ἡ συνουσία γίγνοιτο· ὑμεῖς τε γὰρ οἱ λέγοντες μάλιστ' ἂν οὕτως ἐν ἡμῖν τοῖς ἀκούουσιν εὐδοκιμοῖτε καὶ οὐκ ἐπαινοῖσθε· εὐδοκιμεῖν μὲν γὰρ ἔστιν παρὰ ταῖς ψυχαῖς τῶν ἀκουόντων ἄνευ ἀπάτης, ἐπαινεῖσθαι δὲ ἐν λόγῳ πολλάκις παρὰ δόξαν ψευδομένων· ἡμεῖς τ' αὖ οἱ ἀκούοντες μάλιστ' ἂν οὕτως εὐφραινοίμεθα, οὐχ ἡδοίμεθα· εὐφραίνεσθαι μὲν γὰρ ἔστιν μανθάνοντά τι καὶ φρονήσεως μεταλαμβάνοντα αὐτῇ τῇ διανοίᾳ, ἥδεσθαι δὲ ἐσθίοντά τι ἢ ἄλλο ἡδὺ πάσχοντα αὐτῷ τῷ σώματι. ταῦτα οὖν εἰπόντος τοῦ Προδίκου πολλοὶ πάνυ τῶν παρόντων ἀπεδέξαντο.

---

1) *Top.* II 6, 112 b 22: Diels II[3] 270, 9=566[2] (ultima verba desunt); cf. etiam Alexandrum ad hunc locum 181, 2: Diels ibid. (vide infra p. 59 n. 1).
2) II[3] 269=565[2] sq.

Quid Plato de Prodico senserit.

Quibus verbis sophistam eiusque artem irrideri et perstringi apparet, neque iniuria fortasse; libenter enim credimus Prodicum, qui princeps huic studio incumberet magnaque cum gloria in ea versaretur, inventi sui amore abreptum inania saepe et ficta iactavisse vocum discrimina. Difficile est diiudicare quid revera ipse Plato de Prodico senserit. Iure iam monuit Bayle[1]: „*Platon parle de lui assez* „*souvent et même avec éloge, mais non pas sans se souvenir* „*quelquefois de l'ironie.*" Πάσσοφος καὶ θεῖος appellatus est *Protag.* 315 E, ὁ βέλτιστος Πρόδικος *Symp.* 177 B. Notum deinde est illud καὶ μὲν δὴ καὶ Τάνταλόν γε εἰσεῖδον (*Prot.* 315 C), quod cognomen bene mihi explicasse videtur von Kleemann[2]), sic statuens (p. 46): „*Plato nennt den Prodikus* „*darum Tantalos, weil er trotz der vielen Anstrengung und* „*Mühe, die ihm seine Synonymik und Wortkunde bereitet,* „*doch niemals die herrlichen Früchte der auf den gleichen* „*Prinzipien fussenden socratischen Begriffsethik zu fassen* „*vermag. Dies scheint mir die geistige Physiognomie des* „*Weisen von Keos weit treffender zu charakterisieren als* „*eine Anspielung auf seinen grossen Reichtum.*"

Iudicium Spengelii.

Diversa autem inter sese comparari nequeunt: alia consequebatur Prodicus, alia Socrates. Ac summo iure de illius studiorum fortuna questus est Spengel[3]): „utinam tunc „temporis alii quae felici auspicio Prodicus incepisset, simili „fortuna longius produxissent; sic enim iam illa aetate syno- „nymiae et etymologiae studium magnos fecisset progressus „multaque memoratu digna essent tradita,in quibus posteriores „mire caecutiunt, quamvis qui de suae aetatis lingua dis- „quirunt, quo minus verum videant plurimis impediri opinioni- „bus negari nequeat eosque simili vocum sonu ita allici, ut „quae diversissima sunt totoque distant coelo, simillima vel

1) apud Welckerum *Prodikos von Keos, Vorgänger des Sokrates*, *Kl. Schriften* II p. 407 n. 38.

2) *Wiener Eranos* (1909) p. 38 sqq. (*Platon und Prodikos*).

3) l.l. p. 51.

„paene eadem esse arbitrentur." Deinde monet et hodie et antiquitus hac in re multum peccasse viros doctos quod in vocabulorum syllabis finalibus alterum saepe vocabulum latere arbitrarentur; quo vitio etiam Platonem affectum esse. Haec affert exempla; in *Sophista* (228 C) serio dicit Eleaticus hospes:

ΞΕ. ἀλλὰ μὴν ψυχήν γε ἴσμεν ἄκουσαν πᾶσαν πᾶν ἀγνοοῦσαν.
ΘΕΑΙ. Σφόδρα γε.
ΞΕ. Τό γε μὴν ἀγνοεῖν ἐστιν ἐπ' ἀλήθειαν ὁρμωμένης ψυχῆς, παραφόρου ξυνέσεως γιγνομένης οὐδὲν ἄλλο πλὴν παραφροσύνη.

Similia in *Cratylo* (412 C): δικαιοσύνη δὲ ὅτι μὲν ἐπὶ τῇ τοῦ δικαίου συνέσει τοῦτο κεῖται τὸ ὄνομα ῥᾴδιον συμβαλεῖν· αὐτὸ δὲ τὸ δίκαιον χαλεπόν. Et paulo supra (411 D): ἡ φρόνησις, φορᾶς γάρ ἐστι καὶ ῥοῦ νόησις· εἴη δ' ἂν καὶ ὄνησιν ὑπολαβεῖν φορᾶς· ἀλλ' οὖν περί γε τὸ φέρεσθαί ἐστιν,

De Prodici hac in re imitatoribus.

Constat tamen iam ipsius Prodici temporibus et paulo post studia eius fructus tulisse. Verba egregria, quae Protagoras ipse in cognomini dialogo dicit (350 E sqq.), ex Prodici doctrina hausta esse statim apparet (ταῦτα δὲ ἐμοῦ ὁμολογήσαντος — γίγνεται). Testimonium Marcellini [1]) de Thucydide (ἐζήλωσε δ' ἐπ' ὀλίγον, ὥς φησιν Ἄντυλλος — καὶ Προδίκου τοῦ Κείου τὴν ἐπὶ τοῖς ὀνόμασιν ἀκριβολογίαν) multis exemplis confirmavit Spengel [2]). Operae pretium est in ceteris quoque scriptoribus hanc a Prodico inchoatam ἐπὶ ὀνόμασιν ἀκριβολογίαν accuratius persequi [3]). Sed festinandum ultro.

De Herculis fabula.

Pauca denique addere lubet de loco celebri Xenophontis (*Mem.* II 1, 21); nam quamvis Socrates fateatur: καὶ Πρόδικος δὲ ὁ σόφος ἐν τῷ συγγράμματι τῷ περὶ τοῦ Ἡρακλέους, ὅπερ δὴ καὶ πλείστοις ἐπιδείκνυται, ὡσαύτως περὶ τῆς ἀρετῆς ἀποφαίνεται ὧδέ πως λέγων ὅσα ἐγὼ μέμνημαι, et § 34: οὕτω πως διώκει Πρόδικος τὴν ὑπ'

1) Diels II³ 268, 21 = 564².
2) l.l. p. 54 sqq.; adde *Thuc.* I 77, 4: ἀδικεῖσθαι - βιάζεσθαι.
3) Cf. e.g. discrimen apud Herodotum (I 30 sq.) factum inter ὄλβιος - εὐτυχής, εὐδαιμονίη - εὐτυχίη; vide W. Nestle Praef. *Protag.* p. 20 n. 6.

Ἀρετῆς Ἡρακλέους παίδευσιν· ἐκόσμησε μέντοι τὰς γνώμας ἔτι μεγαλειοτέροις ῥήμασιν ἢ ἐγὼ νῦν, Prodici tamen sermonem et docendi rationem haud male observavit auctor [1]. Locum si accuratius inspexeris Prodicum ut vocabula suo quaeque ponerentur loco valde annisum esse ex hac quoque imitatione perspicies, in qua multa vocum subtilia discrimina latent. Quod tam bene demonstravit Spengel (p. 57 sqq.), ut nihil reliqui fecerit.

De interpretatione poetarum.

Testimonium Themistii nihil de hac re docet.

Prodicum etiam in poetarum interpretatione haud parum elaborasse omni exemptum est dubitatione. Locum tamen Themistii, omissum a Dielsio, quo idem demonstratum putant nonnulli, ad id probandum me iudice nihil valet. Verba haec sunt (*orat.* 23 p. 350 Dind.): ἐπεὶ καὶ Πρόδικος καὶ Πρωταγόρας ὁ Ἀβδηρίτης, ὁ μὲν ὀρθοέπειάν τε καὶ ὀρθορρημοσύνην μισθοῦ ἐκδιδάσκων τοὺς νέους, ὁ δὲ τὰ Σιμωνίδου τε καὶ ἄλλων ποιήματα ἐξηγούμενος, σοφισταὶ ὅμως καὶ ἤστην καὶ ἐλεγέσθην. Quaestio est utri ὀρθοέπεια et ὀρθορρημοσύνη, utri Simonidis aliorumque poetarum interpretatio tribuenda sit. Vox sane ὀρθοέπεια Protagoram spectare potest, neque est cur praefracte negemus Themistium, quoniam unum Platonem respexisse videatur, loci supra allati (*Phaedr.* 267 C) rationem fortasse habuisse. Attamen cum idem Plato Protagoram Simonidis carmen interpretantem faciat, deque Prodici poetarum interpretatione nihil usquam apud eum memoretur, voce denique ὀρθοέπεια facile etiam studia Prodici ad verborum distinctionem pertinentia comprehendi possint, equidem cum Friedelio (p. 145) poetarum interpretem Protagoram potius quam Prodicum esse putem. Locos *Axiochi et Eryxiae* [2]) mitto [3]).

---

1) Quod iam Philostratus animadvertit *Vit. Sophist.* p. 496: *καὶ τί ἂν χαρακτηρίζοιμεν τὴν τοῦ Προδίκου γλῶτταν Ξενοφῶντος αὐτὴν ἱκανῶς ὑπογράφοντος.* Aliter K. Kuiper *De ontwikkelingsgang van de Grieksche letterkunde*, p. 291.

2) Diels II³ 275=572².

3) De Prodici doctrina etiam conferendi sunt: H. Maier *Socrates* p. 256; Zeller *Phil. d. Gr.* I⁵ p. 1062; H. Gomperz p. 90 sqq.

Antithesis φύσις-νόμος.

De Prodici autem studiis semasiologicis cum tam multa habeamus testimonia, miramur eum antithesin φύσις-νόμος numquam movisse. Immo vero synthesin quandam hac in re propagasse videtur. Vocabulum suam quodque habet propriam vim et potestatem (φύσει igitur), quae primo discriminanda est. Conferas haec [1]: Πρόδικος δὲ ἐπειρᾶτο ἑκάστῳ τῶν ὀνομάτων τούτων ἴδιόν τι σημαινόμενον ὑποτάσσειν. At verba quoque valent usu (νόμῳ). Nam sic in *Protagora* (341 B): περὶ δὲ τοῦ δεινοῦ Πρόδικός με οὑτοσὶ νουθετεῖ ἑκάστοτε, ὅταν ἐπαινῶν ἐγὼ ἢ σὲ ἢ ἄλλον τινὰ λέγω ὅτι Πρωταγόρας σοφὸς καὶ δεινός ἐστιν ἀνήρ, ἐρωτᾷ εἰ οὐκ αἰσχύνομαι τἀγαθὰ δεινὰ καλῶν· τὸ γὰρ δεινόν, φησί, κακόν ἐστιν· οὐδεὶς γοῦν λέγει ἑκάστοτε δεινοῦ πλούτου οὐδὲ δεινῆς εἰρήνης οὐδὲ δεινῆς ὑγιείας, ἀλλὰ δεινῆς νόσου καὶ δεινοῦ πολέμου καὶ δεινῆς πενίας, ὡς τοῦ δεινοῦ κακοῦ ὄντος· Item in *Euthydemo* (277 E): πρῶτον γάρ, ὥς φησι Πρόδικος, περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος μαθεῖν δεῖ· ὃ δὴ καὶ ἐνδείκνυσθόν σοι τὼ ξένω, ὅτι οὐκ ᾔδησθα τὸ μανθάνειν ὅτι οἱ ἄνθρωποι καλοῦσι μὲν ἐπὶ τῷ τοιῷδε .... κτλ. Et vide totum locum qui ibi sequitur. Hic sermonis cotidiani usus deinde rimandus est, contraria vocabula opponendo, comparando synonyma. Tum demum verum quid sit perspicere possumus idque cum aliis communicare: quod semper et fuit et erit primarium philologi officium.

Itaque quod supra de Protagora suspicatus sum (p. 49 n. 3), multo certius iam de Prodico affirmare ausim, eum perveterem antithesin de origine linguae per synthesin quandam solvere conatum esse [2].

De Hippia.

Similia de Hippia Eleo traduntur, qui ut erat uberrima scientiae artiumque copia praeditus [3], magnam etiam in lingua tractanda operam posuit.

---

1) Alex. ad Arist. *Top.* B 6, 112^b 22: Diels II^3 270, $12=566^2$.

2) Cf. infra conclusionem huius libelli (p. 129).

3) Cf. locos notos: Xen. *Mem.* IV 4, 6 ubi *πολυμαθής* nominatur; *Hipp. Mai* 285. Bsq.; *Hipp. Min.* 368 B sq. (Diels II^3 $284=581^2$ sq.).

Quid in studiis philologicis praestitisse videatur.

Studia quae dici possunt philologica sine dubio spectat locus in *Hipp. Min.* 363 C: καὶ ἄλλα πολλὰ καὶ παντοδαπὰ ἡμῖν ἐπιδέδεικται καὶ περὶ ποιητῶν τε ἄλλων καὶ περὶ Ὁμήρου, itemque apud Ciceronem quae leguntur (*de Or.* III 32, 127), ubi „literarum cognitionem et poetarum" profitetur. Neque poetarum tantummodo interpretationem hisce indicari intellegimus ex loco Platonis (*Hipp. Mai.* 285 C), ubi Socrates ἀλλὰ δῆτα, inquit, ἐκεῖνα ἃ σὺ ἀκριβέστατα ἐπίστασαι ἀνθρώπων διαιρεῖν, περί τε γραμμάτων δυνάμεως καὶ συλλαβῶν καὶ ῥυθμῶν καὶ ἁρμονιῶν;[1]) Recte igitur mihi Spengel scripsisse videtur: „Ergo is iam quod ne „nunc quidem perfectum, ab initio exiens de verborum compo„sitione quaedam certe notavit; nunc etymologiam et syntaxin „attingunt, de tertia graviore parte, compositione, silent" (p.60).

Ἔγραψε πολλά: sic simpliciter Suidas[2]). At nulla eius scripta supersunt, fragmenta paucissima[3]). Quae quamquam disiecta quasi membra studiorum satis amplorum habenda sunt, ita ut accuratius de studiis eius philologicis disserere vix liceat, idonea tamen sunt ad refutandum Heinricum Gomperz. Fertur enim Homerum Cymaeum nominavisse[4]); contendisse vocem ʻτύραννοςʼ numquam apud poetas qui ante Archilochum fuissent, nedum apud Homerum, inveniri — id quod nullo modo contendere potuit nisi ipse accuratissime illorum poetarum carmina perscrutatus esset[5]) —; vocabulo ʻπολύτροποςʼ eandem

1) Eadem fere habes in *Hippia Minore* (368 D), nisi quod ibi loco *δυνάμεως* legitur *ὀρθότητος* (Diels II³ 284=581² sq.).

2) Diels II³ 282, 10=579².

3) Verba sophistae hic illic fortasse latent; cf. Dümmler *Acad.* p. 249; W. Nestle *Philol.* 67 p. 568. Iocose eum imitatum esse videtur Plato *Prot.* 337 C (Diels II³ 288, 10=568²). De Hibeh-Papyro 13 (W. Nestle *Die Vorsokratiker* p. 101 et 236) nihil pro certo dici potest. De *Dialexeon* fragm. 5 vide infra p. 62.

4) Fragm. 18: Diels II³ 287, 31=585².

5) Fragm. 9: Diels II³ 287, 1=584²; cf. Friedel l.l. p. 152, qui recte monet civilibus magis quam grammaticis studiis Hippiam ad illam sententiam adductum fuisse; de quibus vide infra § 3.

Reicienda sunt quae H. Gomperz de iis perhibuit.

significationem tribuisse atque vocibus ψευδής vel δολερός [1], quam opinionem Socrates aperte (*Hipp. Min.* 365 B) verbis τὸν πολύτροπον ψευδῆ λέγεις reprehendit; de historicis denique studiis in primis bene meritus esse — seriem enim Olympionicarum primus edidit [2], egitque de originibus heroum hominumque nec non urbium atque omnino de historiae Graecae primordiis [3] —; quae omnia cum perpendimus (ut nunc taceam de studiis eius politicis) iusto audacior nobis videtur H. Gomperz scribens p. 69: *„dass er — seine Reden vor allem als Schaustellungen „*(ἐπιδείξεις) *auffasste, ist durch die Platonischen Zeugnisse „vollkommen ausser Zweifel gestellt"*, et paulo infra — nonnullis Platonis testimoniis allatis — (p. 71): *„jedenfalls steht „der rhetorische Grundcharakter seiner Prosaschriftstellerei, „sowohl was die bewusste sprachliche Kunst als auch was „die epideiktisch-agonistische Tendenz betrifft, vollkommen „ausser Zweifel."* Testimonia autem illa nihil valent, quoniam ἐπίδειξις minime verti potest '*Schaustellung*', sed identidem de sophistarum lectionibus dicitur [4]. Et mehercle

---

1) *Hipp. Min.* 363 B sqq., ubi subtiliore disquisitione diiudicare conatur uter melior sit, Achilles an Odysseus. Recte Friedel (p. 158): „re„spiciebat hoc vocabulo (sc. *πολύτροπος*) Hippias sine dubio primum Odys„seae versum, ubi eandem vocem eum non ex sequentibus (ὃς *μάλα πολλὰ πλάγχθη*) explicasse, sed hac significatione magis ad mores Ulixis, quam „ad externa pericula spectante accepisse verisimile est."

2) Plut. *Num.* 1, (Diels II^3 286, 5=583^2): *τοὺς μὲν οὖν χρόνους ἐξακριβῶσαι χαλεπόν ἐστι καὶ μάλιστα τοὺς ἐκ τῶν Ὀλυμπιονικῶν ἀναγομένους, ὧν τὴν ἀναγραφὴν ὀψέ φασιν Ἱππίαν ἐκδοῦναι τὸν Ἠλεῖον ἀπ' οὐδενὸς ὁρμώμενον ἀναγκαίου πρὸς πίστιν.* De qua re sic rectissime iudicat Wilamowitzius (*Griech. Litt., Kultur der Gegenwart* I VIII^3 1912 p. 62): *„Hippias hat durch die Veröffentlichung der Olympischen Sieger„liste einen Sinn für geschichtliche Forschung bekundet, der von der „Platonischen Schule noch nicht gewürdigt ward."*

3) *Hipp. Mai.* 285 D; cf. Philostr. *Vit. Soph.* I 11, 13: Diels II^3 282, 15=579^2.

4) Cf. infra capite III (p. 108); W. Nestle ed. *Gorg.* praef. p. 5 n. 4.

loci a me allati abunde testantur Hippiam artium praeceptorem se praebuisse. Nonne id necessario etiam ex verbis Philostrati[1]) concludas: ἐσήγετο δὲ ἐς τὰς διαλέξεις γεωμετρίαν, ἀστρονομίαν, μουσικήν, ῥυθμούς? Quod neque Heinricum Gomperz fugit. At lepide scopulum vitavit (p. 73): *„es wäre denkbar, dass des Hippias von Platon so stark „betonte Beschäftigung mit Orthographie, Prosodie, Be-„tonungslehre und Mnemotechnik nicht bloss in seinen histo-„rischen*[2]) *und epideiktischen*[3]) *Interessen wurzelte, sondern „aus seinem Unterrichtsbetriebe unmittelbar herauswuchs. — „Sind die — Bestrebungen des Hippias aus dieser Wurzel „zu erklären, so hätten wir hier das erstmalige Auftreten „eines sachlichen Interesses von besonderer Art festzustellen,—: „ich meine jenes sachliche Interesse, in das sich auch ein „rein formales Bildungsideal, sobald es berufsmässig ver-„treten wird, von selbst umsetzt, nämlich* (en deus ex „machina!) *das sachliche Interesse an der Form selbst*[4])." Scilicet Carthago delenda erat. Sophistas formam tantum numquam rem spectavisse, hoc unum semper et ubique quaerendum et per fas atque nefas tenendum.

De Dialexeon fragmento quinto. Tali autem disputatione nihil proficimus; et paulo infra ipse se refutasse mihi videtur, ubi de *Dial.* fragm. 5 [5]) verba facit (p.171). Agitur ibi de diversa vi eiusdem vocabuli a diversis personis adhibiti: καὶ πρᾶτον μὲν ὀνομάζοντι ταὐτά, (sc. τοὶ σοφοὶ καὶ τοὶ ἀμαθεῖς) γᾶν καὶ ἄνθρωπον καὶ ἵππον καὶ πῦρ καὶ τἆλλα πάντα, — sed non eadem intellegunt. Cuius rei quadamtenus sane haec est causa quod sapientes opportune ea dicunt (ἐν τῷ δέοντι), stulti importune; ἐγὼ δὲ οὐ πράγματος τοσοῦτον ποτιτεθέντος ἀλλοιοῦσθαι δοκῶ

1) Diels II³ 282, 13=579².

2) i. e. *„Interessen an Gelehrsamkeit als solcher"* (p. 72).

3) i. e. *„gelehrte Kenntnisse zur Schau zu stellen"* (p. 73).

4) Cf. p. 79: *„Er verwandte seine Sprachkunst dazu, vielfache und zum Teil entlegene positive Kenntnisse zur Schau zu stellen und mit zu teilen."*

5) Diels II³ 341, 16=644².

τὰ πράγματα, ἀλλ' ἁρμονίας διαλλαγείσας — mutato accentu — ὥσπερ 'Γλαῦκος' καὶ 'γλαυκός' —· ταῦτα μὲν τὴν ἁρμονίαν ἀλλάξαντα διήνεικαν, τὰ δὲ μακρῶς καὶ βραχυτέρως ῥηθέντα, 'Τύρος' καὶ 'τυρός' — mutata prosodia —, ἅτερα δὲ γράμματα διαλλάξαντα, 'κάρτος' καὶ 'κρατός' (§ 11 sq.). Nam fragmentum illud Hippiae vindicandum ipse statuit, collatis verbis notis Platonis *Hipp. Mai.* 285 C [1]), ubi Socrates ad Hippiam ἀλλὰ δῆτα, inquit, ἐκεῖνα ἃ σὺ ἀκριβέστατα ἐπίστασαι ἀνθρώπων διαιρεῖν, περί τε γ ρ α μ μ ά τ ω ν δ υ ν ά μ ε ω ς (!) καὶ σ υ λ λ α β ῶ ν καὶ ῥ υ θ μ ῶ ν καὶ ἁ ρ μ ο ν ι ῶ ν (!). Verba sibi invicem respondent seque invicem illustrant. Totum igitur fragmentum notabile nobis servavit exemplum declamationis Hippiae de eiusmodi argumentis agentis. Sophistam autem magis rem quam investigabat quam formam qua quis disputare deberet spectavisse me quidem iudice inde statim apparet [2]).

Duo opposita φύσιν-νόμον coniunxit.

Hoc quoque notandum eum in discernenda vocabulorum vi discrimen illud inter φύσιν et νόμον, quod in rebus politicis tam acriter tenuit, neglexisse, vel potius duo illa opposita coniunxisse. Quod ex toto *Dialexeon* loco recte colligere mihi videor. Eadem enim vocabula si τὴν ἁρμονίαν ἀλλάξαντα vel μακρῶς καὶ βραχυτέρως ῥηθέντα vel γράμματα διαλλάξαντα mutant significationem, νόμῳ orta esse putanda sunt; nos enim homines vocabuli mutamus accentum et prosodiam et literas. At rursus, 'αἴ τίς τι ποτιτίθητι ἢ ἀφαιρεῖ' veluti τὸ ᾇ δεῖ καὶ μὴ δεῖ, vocabuli sane significationi additur aliquid vel demitur, vocabulum autem ipsum semper unum idemque indicat, i.e. est φύσει.

De huius syntheseos apud sophistas vi.

Haec autem synthesis, quam apud tres sophistas, de quorum studiis philologicis plura dici possunt, notavimus, licet copiosius explanari et investigari nequeat, parvi fortasse habenda

---

1) Diels II³ 284, 13=581²; verba supra p. 60 iam adhibui.

2) Iam non miramur Heinricum Gomperz de hoc loco sic statuere: *„ausser Zweifel aber steht dass auch diese Erörterungen ganz in der „Richtung jener Bemühungen liegen, welche die alte Sophistik der Klärung „sprachlicher Grundbegriffe gewidmet hat"* (p. 172).

non est, praesertim cum in ceteris sophistarum studiis eadem saepius observata sit (vide infra conclusionem, p. 129).

Reliquos sophistas, de quorum studiis philologicis nihil certi traditum est, nunc mitto; de Hippia hoc statuendum: multifariam doctrinam undique eum collegisse, quam suo modo in usum auditorum adhiberet[1]. 'Suo modo' inquam, nam illud 'multum non multa' omnino neglexit, sicut ipse in oratione Τρωικὸς διάλογος quae dicitur Nestorem 'πάμπολλα' monentem introduxit. Neque enim id agebat ut rebus accurate perspectis solidis argumentis nisus quae apta essent afferret, sed, ut erat πολυμαθής, magnam multifariamque rerum copiam ad id, quod volebat, demonstrandum congerebat. Discipuli Hippiae noti non sunt. De eo igitur vereor ne nimis valuerint aurea verba Ciceronis[2]: „obest plerumque iis qui discere volunt auctoritas eorum qui se docere profitentur. Fit enim ut discipuli desinant suum iudicium adhibere, atque id habeant ratum, quod ab eo quem probent iudicatum videant."

Qua in re potissimum defecerint sophistae.

Quem scopulum ne ceteri quidem sophistae mihi effugisse videntur. Immo saepius in hoc libello perscribendo mihi subiit satis eos profecisse in rebus quibus instituerent, item in ratione qua eas praeciperent[3], in hoc autem defecisse quod parum suo ipsos iudicio et consilio veritatem exquirere discipulos docerent[4]. Quo nec gravius nec difficilius ullum exstare praeceptoris officium nemo est qui neget.

---

1) Cf. testimonium Platonis (*Apol.* 19 E): *καὶ τοῦτό γέ μοι δοκεῖ καλὸν εἶναι, εἴ τις οἷός τ' εἴη παιδεύειν ἀνθρώπους, ὥσπερ Γοργίας τε ὁ Λεοντῖνος καὶ Πρόδικος ὁ Κεῖος καὶ Ἱππίας ὁ Ἠλεῖος.*

2) *De nat. deor.* I 5, 10.

3) Quam *τέχνην* iure *βασιλικὴν* appellatam esse legimus apud Xenophonten *Memor.* IV 2, 11.

4) Socratem, qui hoc rectissime vituperaverit, illud autem neglexerit (itemque Platonem), inde acrem sophistarum adversarium se praestitisse iam satis intellectum puto.

§ 3. De sophistarum studiis civilibus.

Ἀναγκαῖον πρὸς τὴν πολιτείαν βλέποντας παιδεύειν τοὺς παῖδας.
A r i s t. *Polit.* I 13.

De studiorum civilium primordiis.

Rerum civilium scientiam, de qua nunc nobis dicendum, in primis apud Romanos ortam esse, satis diu creditum est. Neque negari potest ab eis formas iuris publici inventas esse, quibus adhuc, mutatis mutandis, utamur. Attamen hac quoque in re Graecia victa Romae victricis magistra fuit [1]), et summo iure Graecis in studiis civilibus primae partes tribuendae sunt. Nam cum apud Romanos res militaris primum obtineret locum, illi ipsam artem politicam colebant et venerabantur. Diversas civitatum formas diligenter scrutati sunt et nominibus notaverunt; ut ipsa graeca vocabula δημοκρατία, ὀλιγαρχία, μοναρχία indicant. Quin et qui data opera Romanorum institutiones primus indagavit, Polybium dico, Graecus erat.

Antiquissimus temporibus homines in res civiles non ita inquisivisse ut studia ea dici possent, consentaneum est. In generis humani infantia et pueritia tales res θαυμάζειν non solent homines neque de iis philosophantur. Suis quisque rebus contentus vivit ut potest beate. Nec victus consuetudine unus ab altero multum distabat. Crescente autem civitate, cum inter cives augerentur differentiae, rei publicae forma praesertim in democratiam mutata, diversae mox sententiae de rebus politicis nascebantur; quae rerum commutatio ex carminibus Theognidis, Solonis, aliorum, ex Thucydide praesertim, bene cognoscitur [2]). Ac facile intellectu est de optima reipublicae regendae ratione vehementer disputatum, necnon scriptum esse; neque mirandum notionem

---

1) Cf. P. C a u e r *Pal. Vitae*[3] p. 60.

2) Vide A. B u s s e *die Anfänge der Erziehungswissenschaft, Neue Jahrb. f. d. klass. Alt.* 26 (1910) p. 465—477 (cf. infra § 4 p. 92).

ἀρετῆς, quam sophistas arripuisse supra demonstravimus, iam surgere et magna ciere certamina.

De ἀρετῆς πολιτικῆς apud antiquissimos Graecos notione.

Ἀρετὴ πολιτική, i. e. facultas praeeundi ceteros in vita publica, antiquitus ab ipso Iove civibus loco nobili natis data esse putabatur, quod multis antiquiorum poetarum locis facile illustrari potest [1]. Et quamquam iam Hesiodus celeberrimo versu [2] monuerat ad praestantiam in hac vita non esse aditum nisi labore partum, de divina tamen τῆς ἀρετῆς origine non dubitabatur. Φύσει eam nasci quis negare ausus esset? Sed dicere vix opus est hoc parum congruere cum popularibus institutionibus.

Paulatim mutata est sub populari dominatione.

Quo facilius quivis homo ingenuus auctoritatem aliquam in republica appetere poterat, eo magis candidati magistratuum et δημαγωγοί illi, qui mobilem et inconstantem multitudinem regere volebant, inter sese contendebant ut principes evaderent. Ex illis certaminibus virtus civilis probabatur, ἀρετῆς ἀγῶνες [3] omnibus ineundi erant qui innotescere cupiebant. Rem bene illustrant verba Periclis (*Thuc.* II 37, 1): χρώμεθα γὰρ πολιτείᾳ οὐ ζηλούσῃ τοὺς τῶν πέλας νόμους ...., καὶ ὄνομα μὲν ... δημοκρατία κέκληται· μέτεστι δὲ κατὰ μὲν τοὺς νόμους πρὸς τὰ ἴδια διάφορα πᾶσι τὸ ἴσον, κατὰ δὲ τὴν ἀξίωσιν ... οὐκ ἀπὸ μέρους τὸ πλεῖον ἐς τὰ κοινὰ ἢ ἀπ' ἀρετῆς προτιμᾶται. Necesse autem erat oriri dehinc quaestionem de origine ἀρετῆς,

---

1) Cf. Theognis v. 437 sq.: *ἀλλὰ διδάσκων οὔποτε ποιήσεις τὸν κακὸν ἄνδρ' ἀγαθόν*, Simonides fr. 44 (Bergk-Hiller-Crusius): *οὔτις ἄνευ θεῶν ἀρετὰν λάβεν, οὐ πόλις οὐ βροτός* (cf. fr. 41), Pindarus *Olymp.* II 94: *σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ.* Plura testimonia collegit W. Nestle ed. *Prot.* praef. p. 17 n. 1. Notabilis quoque est liber *de Atheniensium Republica* Xenophontis qui fertur; de quo libro qui scripserunt contulit Kalinka in ed. sua p. 8; cf. M. Nistler *Wiener Eranos* 1909 p. 55 sqq., et S. Kriegbaum *Der Ursprung der von Kallikles in Platons Gorgias vertretenen Anschauungen* (*Studien zur Philosophie und Religion*, 13) p. 42.

2) Ἔργα καὶ Ἡμέραι 289: *τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν.*

3) Verba Gorgiana, vide infra § 4 (p. 100).

essetne a natura data an cuivis labore parabilis, et in eam sophistas, cum primum in hanc rem inquirere coepissent, incidere. Quae quaestio ne nostris quidem temporibus soluta est, sed ubique maximas movet controversias. In quibus componendis quam fecunda utilisque sit magistra historia antiqua, Graeca praesertim, non est quod moneam.

De sophistarum studiis politicis.

Omnes quidem populi formis quibusdam et institutionibus vitae publicae usi sunt. Graecis autem semper laudi erit eas non solum a maioribus accepisse, sed primos cogitando excoluisse; quod deinceps ab iis tantum populis factum esse videmus, quibus Graeci magistri fuerint [1]. Apud ipsos autem Graecos quamquam ante sophistarum tempora iam multi exstiterunt, qui in hanc civilem doctrinam incubuerint (ut septem illi sapientes qui civibus suis iura et constitutiones dare conati sunt), tamen sophistae primi de his rebus θεωρητικῶς et quaerere et cogitare coeperunt.

I. De studiis formae repu-blicae exterioris.

Duae hic res bene distinguendae. Unum est quod sophistae de *forma exteriore* civitatum disputaverunt[2]. Primum hic obtinet locum is qui de diversis πολιτείαις sive versibus sive oratione soluta scripsit, Critiam dico [3]. Ac sicut postea Aristoteles magnam collegit constitutionum (πολιτειῶν) catervam, ut inter se comparari possent, tale quid iam Critias in animo habuisse videtur. Neque leviter tantum civitatum legumque formas attigit ut graviores modo earum differentias indicaret, sed permulta νόμιμα sedulo collegit, ut intellegeretur alios alibi mores probari atque vituperari. Quem cum sciamus Athenis, Spartae, in Thessalia fuisse, verisimile est haec omnia, quae etiam nunc nonnullius momenti sunt, ipsum collegisse [4]. Exposuit quae cuique populo instituta propia essent,

De Critia.

1) Th. Zielinski *Die Antike und wir*³ p. 88 sqq.

2) Alterum infra p. 75 invenies.

3) De quo conferas W. Nestle *Neue Jahrb. f. d. klass. Alt.* 11 (1903) p. 81 sqq. (praesertim 87. 90) et 178 sqq.

4) Loca notabiliora nunc cuivis facile praebet liber elegans Guilelmi Nestle *Die Vorsokratiker* p. 207 sqq.

quae aliorum risum vel admirationem moverent. Exempli gratia affero fragmentum 33[1]), ubi de τρόποις πόσεων κατὰ πόλεις ἰδίοις haec: ὁ μὲν Χῖος καὶ Θάσιος ἐκ μεγάλων κυλίκων ἐπὶ δεξιά, ὁ δ' Ἀττικὸς ἐκ μικρῶν ἐπὶ δεξιά, ὁ δὲ Θετταλικὸς ἐκπώματα προπίνει ὅτῳ ἂν βούλωνται μεγάλα. Λακεδαιμόνιοι δὲ τὴν παρ' αὑτῷ ἕκαστος πίνει, ὁ δὲ παῖς ὁ οἰνοχόος ⟨ἐπιχεῖ⟩ ὅσον ἂν ἀποπίῃ. Neque in carminibus huiusmodi investigationibus abstinuit, e.g. [2]):

κότταβος ἐκ Σικελῆς ἐστι χθονὸς ἐκπρεπὲς ἔργον
ὃν σκοπὸν ἐς λατάγων τόξα καθιστάμεθα,
εἶτα δ' ὄχος Σικελὸς κάλλει δαπάνῃ τε κράτιστος,
— — — — — — — — — — —
Θεσσαλικὸς δὲ θρόνος, γυίων τρυφερωτάτη ἕδρα·
εὐναίου δὲ λέχους ⟨ἔξοχα⟩ κάλλος ἔχει
Μίλητός τε Χίος τ' ἔναλος πόλις Οἰνοπίωνος.
Τυρσηνὴ δὲ κρατεῖ χρυσότυπος φιάλη
καὶ πᾶς χαλκὸς ὅτις κοσμεῖ δόμον ἔν τινι χρείᾳ.
Φοίνικες δ' εὗρον γράμματ' ἀλεξίλογα,
Θήβη δ' ἁρματόεντα δίφρον συνεπήξατο πρώτη,
φορτηγοὺς δ' ἀκάτους Κᾶρες ἁλὸς ταμίαι.
τὸν δὲ τροχὸν γαίας τε καμίνου τ' ἔκγονον εὗρε
κλεινότατον κέραμον, χρήσιμον οἰκονόμον,
ἣ τὸ καλὸν Μαραθῶνι καταστήσασα τρόπαιον.

De Dialexeon fragmento secundo.

Talia studia a ceteris quoque sophistis inchoata esse videntur. In secundo enim *Dialexeon* fragmento[3]), ubi agitur de honesto (περὶ καλοῦ καὶ αἰσχροῦ), novem continuis paragraphis (9—17) diversi diversorum populorum enumerantur mores, quo probet auctor idem aliis honestum aliis turpe videri posse (§ 9: εἶμι δ'⟨ἐφ'⟩ ἃ ταὶ πόλιες αἰσχρὰ ἄγηνται καὶ τὰ ἔθνεα). Veluti Λακεδαιμονίοις τὰς κόρας γυμνάζεσθαι honestum esse quod

1) Diels II^3 323, 10=623^2.
2) Fragm, 3: Diels II^3 313, 24=614^2.
3) Diels II^3 336, 17=638^2.

Ἴωσι inhonestum (§ 9); καὶ ⟨τοῖς μὲν⟩ τὼς παῖδας μὴ μανθάνειν μωσικὰ καὶ γράμματα καλόν· Ἴωσι δ' αἰσχρὸν μὴ ἐπίστασθαι ταῦτα πάντα (§ 10). Item Θεσσαλοῖσι δὲ καλὸν τὼς ἵππως ἐκ τᾶς ἀγέλας λαβόντι αὐτῷ δαμάσαι καὶ τὼς ὀρέας· βῶν τε λαβόντι αὐτῷ σφάξαι καὶ ἐκδεῖραι καὶ κατακόψαι, ἐν Σικελίᾳ δὲ αἰσχρὸν καὶ δώλων ἔργα (§ 11); Μακεδόσι δὲ καλὸν δοκεῖ ἦμεν τὰς κόρας, πρὶν γάμασθαι, ἐρᾶσθαι καὶ ἀνδρὶ συγγίνεσθαι, ἐπεὶ δέ κα γάμηται, αἰσχρόν· Ἕλλασι δ' ἄμφω αἰσχρόν (§ 12); τοῖς δὲ Θρᾳξὶ κόσμος τὰς κόρας στίζεσθαι· τοῖς δ' ἄλλοις τιμωρία τὰ στίγματα τοῖς ἀδικέοντι. Sic Σκύθαι καλὸν νομίζοντι, ὅς ⟨κ'⟩ ἄνδρα κατακανὼν ἐκδείρας τὰν κεφαλὰν τὸ μὲν κόμιον πρὸ τοῦ ἵππου φορῇ, τὸ δ' ὀστέον χρυσώσας ⟨ἢ⟩ καὶ ἀργυρώσας πίνῃ ἐξ αὐτοῦ καὶ σπένδῃ τοῖς θεοῖς· ἐν δὲ τοῖς Ἕλλασιν οὐδέ κ' ἐς τὰν αὐτὰν οἰκίαν συνεισελθεῖν βούλοιτό τις τῷ ταῦτα ποιήσαντι (§ 13); Μασσαγέται rursus τὼς γονέας κατακόψαντες κατέσθοντι, καὶ τάφος κάλλιστος δοκεῖ ἦμεν ἐν τοῖς τέκνοις τεθάφθαι· ἐν δὲ τᾷ Ἑλλάδι αἴ τις ταῦτα ποιήσαι, ἐξελαθεὶς κακῶς κα ἀποθάνοι ὡς αἰσχρὰ καὶ δεινὰ ποιέων (§ 14); τοὶ δὲ Πέρσαι κοσμεῖσθαι ὥσπερ τὰς γυναῖκας καὶ τὼς ἄνδρας καλὸν νομίζοντι, καὶ τᾷ θυγατρὶ καὶ τᾷ ματρὶ καὶ τᾷ ἀδελφᾷ συνίμεν· τοὶ δὲ Ἕλλανες καὶ αἰσχρὰ καὶ παράνομα (§ 15); Λυδοῖς τοίνυν τὰς κόρας πορνευθείσας καὶ ἀργύριον ἐνεργάσασθαι καὶ οὕτως γάμασθαι καλὸν δοκεῖ ἦμεν, ἐν δὲ τοῖς Ἕλλασιν οὐδείς κα θέλοι γᾶμαι (§ 16); de Aegyptiis denique haec: Αἰγύπτιοί τε οὐ ταὐτὰ νομίζοντι καλὰ τοῖς ἄλλοις· τῆδε μὲν γὰρ γυναῖκας ὑφαίνειν καὶ ⟨ἔρια⟩ ἐργάζεσθαι καλόν, ἀλλὰ τηνεῖ τὼς ἄνδρας, τὰς δὲ γυναῖκας πράσσεν, ἅπερ τῆδε τοὶ ἄνδρες. τὸν παλὸν δεύειν ταῖς χερσί, τὸν δὲ σῖτον τοῖς ποσί, τήνοις καλόν, ἀλλ' ἁμὶν τὸ ἐναντίον (§ 17).

Quid doceat de sophistarum studio 'panhellenistico',

Locum longiorem quidem, at lectu dignissimum, adscripsisse iuvat, qui veram mihi videtur sophisticae rationis docendi imaginem referre. Illud tantum obiter moneo singulos populos non cum Atheniensibus vel Spartiatis, sed cum „Graecis" (Ἕλλασιν) comparari. Sophistas enim scimus hoc quoque

studuisse, ut „panhellenisticam" animi affectionem inter Graeciae populos propagarent [1]: de qua re celeber exstat locus apud Platonem (*Prot.* 337 C sqq.), ubi Hippias: ὦ ἄνδρες, ἔφη, οἱ παρόντες, ἡγοῦμαι ἐγὼ ὑμᾶς συγγενεῖς τε καὶ οἰκείους καὶ πολίτας ἅπαντας εἶναι φύσει, οὐ νόμῳ· — ὑμᾶς οὖν αἰσχρὸν — συνεληλυθότας τῆς τε Ἑλλάδος εἰς αὐτὸ τὸ πρυτανεῖον τῆς σοφίας — μηδὲν τούτου τοῦ ἀξιώματος ἄξιον ἀποφήνασθαι, ἀλλ᾽ ὥσπερ τοὺς φαυλοτάτους τῶν ἀνθρώπων διαφέρεσθαι ἀλλήλοις [2]·

et de sophistis praeceptoribus.

Maioris autem momenti est ex eodem Dialexeon fragmento clare apparere sophistas revera aliquid *docuisse*; quis non videt aridam illam morum peregrinorum Graecorumque enumerationem (sit licet inelegantissime ac rustice a tirone [3]) litteris mandata) omnino a rhetorum arte abhorrere? Qui eloquentiam tantummodo docet, cavere debet ne materia magis animos auditorum moveat et studium excitet quam dicendi genus elocutioque. Nostro autem loco studiosi discipuli de νομίμοις populorum erudiuntur [4]). Aptissime electa sunt exempla, quod boni est magistri. Denique haud difficile est demonstratu quam late talia studia politica pervulgata sint, ut supra iam monui. Quae omnia hoc quoque probant ipsas res (*das sachliche Interesse!*) apud sophistas praevaluisse, non formam loquendi.

Reliqua fragmenta, quae huc pertinent, breviter indicabo. Neque multa servata sunt, quamquam sophistas puto de optima reipublicae temperatione saepe multumque cogitasse.

---

1) H. Gomperz p. 123.

2) Diels II^3 288, 10=586^2. Sic legitur *Dial.* fragm. 3: *τὰ μὲν ἴδια τῶν πόλεων ἐῶ· τὰ δὲ κοινὰ τᾶς Ἑλλάδος κτλ.* (Diels II^3 339, 23=641^2) et notus est Gorgiae *Ὀλυμπικὸς λόγος* (Diels II^3 248, 31=558^2); cf. P. Wendland apud Gercke-Norden *Einl. in die Altert. Wiss.* I^2 p. 197.

3) Cf. infra p. 84 n. 3.

4) Cf. W. Nestle *Philol.* 67 (1908) p. 569 sqq.; qui putat *Dial.* fragm. 2 redolere Hippiam, collatis *Dial.* 2, 4 et *Hipp. Mai.* 299 A, *Dial.* 2, 11 et *Hipp. Mai.* 282 E; cf. *Programm Schönthal* 1908 (vide infra p. 72 n. 5) p. 25 sq. H. Gomperz Protagoram fontem fuisse autumat (p. 163 sqq.).

Quod de Protagora iam inde efficitur quod a Pericle rogatus est ut novae coloniae Thuriis leges daret[1]. **De Protagora.**

Fusius id illustratur loco Anonymi Iamblichi, qui externam quoque formam[2] civitatum spectat. Septimo enim fragmento[3], postquam de ἀνομίᾳ et εὐνομίᾳ copiosius egit[4], exponit auctor unde tyrannis — odiosum illud omnibus Graecis, a quo cavere semper summis viribus studebant — oriri soleat: γίνεται δὲ καὶ ἡ τυραννίς, κακὸν τοσοῦτόν τε καὶ τοιοῦτον, οὐκ ἐξ ἄλλου τινὸς ἢ ἀνομίας. οἴονται δέ τινες τῶν ἀνθρώπων, ὅσοι μὴ ὀρθῶς συμβάλλονται, τύραννον ἐξ ἄλλου τινὸς καθίστασθαι καὶ τοὺς ἀνθρώπους στερίσκεσθαι τῆς ἐλευθερίας οὐκ αὐτοὺς αἰτίους ὄντας, ἀλλὰ βιασθέντας ὑπὸ τοῦ κατασταθέντος τυράννου, οὐκ ὀρθῶς ταῦτα λογιζόμενοι (§ 12). ὅστις γὰρ ἡγεῖται βασιλέα ἢ τύραννον ἐξ ἄλλου τινὸς γίγνεσθαι ἢ ἐξ ἀνομίας τε καὶ πλεονεξίας, μωρός ἐστιν· ἐπειδὰν γὰρ ἅπαντες ἐπὶ κακίαν τράπωνται, τότε τοῦτο γίγνεται· οὐ γὰρ οἷόν τε ἀνθρώπους ἄνευ νόμων καὶ δίκης ζῆν (§ 13). Notatu autem dignum est auctore Platone, qui postea eandem quaestionem de origine tyrannidis tractavit, ipsam democratiam (cuius causam suscipiebant sophistae, ut mox videbimus) fatali lege aliquando ad tyrannidem delabi[5]. **De Anonymi Iamblichi fragmento septimo.**

Illi vero in describendis πολιτείαις diligentiae Hippiam quoque operam dedisse haud difficile est demonstratu. Novimus eius bonam observationem, ut monet Lehrsius[6], de voce τύραννος, quam ante Archilochum in usu **de Hippia.**

---

1) Diog. Laert. IX, 50: Diels II^3 219, 9=525^2.

2) Ut eam equidem nunc intellego, quam lectorem quoque melius percepturum opinor collata contraria forma interiore, infra p. 75 a me exposita.

3) Diels II^3 332, 26 sqq.=633^2.

4) Vide infra p. 82.

5) Plato *Republ.* VIII 565 A sqq.

6) K. Lehrs *De Aristarchi studiis Homericis*^{3} p. 41, ubi addit: „de „qua re cum Lobeckium interrogarem, respondit mihi ad hoc illum [sc. „Hippiam] fortasse non tam grammaticis rationibus latum esse quam „*civilibus.*"

fuisse negat [1]), et notus est locus ubi Socrati interroganti de quibus rebus loquentem eum potissimum audirent Lacedaemonii, respondet: περὶ τῶν γενῶν, ὦ Σώκρατες, τῶν τε ἡρώων καὶ τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν κατοικίσεων, ὡς τὸ ἀρχαῖον ἐκτίσθησαν αἱ πόλεις κτλ. [2]). Ex quo etiam apparet studia eius civilia historiam potius respexisse, in quam scimus eum magnopere incubuisse [3]). Sophistam illum, qui de omnibus rebus cogitaverit, de legibus quoque cogitasse docent hi loci Platonici: *Prot.* 337 C D, *Hipp. Mai.* 284 C D. Denique librum eius cui titulus Ἐθνῶν ὀνομασίαι [4]) fortasse mihi sub hoc conspectu commemorare licebit. Plura testimonia minoris momenti afferre supersedeo.

De Herodoto sophistarum hac in re imitatore.

Hactenus de ipsorum sophistarum studiis externam formam civitatum tractantibus. Sed antequam ad alteram partem transimus, pauca addere lubet de iis, qui sophistis hac in re praeceptoribus usi sunt; quorum Herodotum [5]) solum nunc nominatim laudo. Neque mirum eum, qui πολλῶν ἀνθρώπων ϝίδε ϝάστεα καὶ νόον ἔγνω, hisce studiis magnopere delectatum fuisse. Similitudinem locorum *Dial.* 2, 18 (οἶμαι δ', αἴ τις τὰ αἰσχρὰ ἐς ἓν κελεύοι συνενεῖκαι πάντας ἀνθρώπως, ἃ ἕκαστοι νομίζοντι, καὶ πάλιν ἐξ ἀθρόων τούτων τὰ καλὰ λαβέν, ἃ ἕκαστοι ἄγηνται, οὐδὲ ἓν ⟨κα⟩ καλλειφθῆμεν, ἀλλὰ πάντας πάντα διαλαβέν. οὐ γὰρ πάντες ταὐτὰ νομίζοντι) et Herod. III 38, VII 152 iam notaverunt H. Diels [6]) et W. Nestle [7]). Manifestam quoque sophisticam originem profert

1) Fragm. 9: Diels II³ 287, 1=584².

2) *Hipp. Mai.* 285 (Diels II³ 284, 17=581²).

3) De qua re conferas fragmenta eius 3. 4. 5 (?). 6. 7. 11. 12. 15. 18: Diels II³ 286 sq=583² sqq.

4) Fragm. 2: Diels II³ 286, 1=583².

5) Cf. W. Nestle *Herodots Verhältniss zur Philosophie und Sophistik* (*Programm Schönthal* 1908).

6) In ann. ad *Dial.* 2, 18 (II³ 337, 29=639²).

7) l.l. p. 25 sqq.; cf. *Philol.* 67 (1908) p. 567 sqq., ubi elegantissime ex loco Valerii Maximi (VII II ext. 2) probat hoc iam dictum Solonis fuisse. „*Unser Sophist* [Hippiam dicit, cui assentior, quamquam Dielsio aliter visum,

celeberrimus locus H e r. III 80—83, ubi septem Persarum nobiles, Pseudo-Smerde occiso, de optima reipublicae forma inter se disputant; quem locum perlegentibus nobis statim in mentem venit solutio huius ἀπορίας, quae aliquot saeculis post inventa est: δῆλον γὰρ ὡς ἀρίστην ἡγητέον πολιτείαν τὴν ἐκ πάντων τῶν προειρημένων ἰδιωμάτων συνεστῶσαν, i.e. Romanam (P o l y b. VI 3). Similia leguntur H e r. VII 46 sqq. in colloquio illo Xerxis et Artabani[1]).

De Graecorum studiis civilibus in universum.

Neque miramur Graecos eius aetatis tam de diversis legibus quam de tota rei publicae forma vehementer disputavisse. Nam intra exiguos terrarum fines, regionem dico maris Aegaei, itemque intra breve temporis spatium, quot diversae institutiones et πολιτεῖαι apud eos viguerunt[2])! Et fieri non poterat quin inter sese conferrentur[3]). Recte S. K r i e g b a u m[4]): *„Für die erwachende Reflexion war es „sehr wichtig, dass man damals bereits anderer Völker Sitten „kennen gelernt hatte, so durch die Berührung mit den „Persern und durch den Aufschwung des Handels."* Et ibidem[5]): *„Wesentlich gefördert wurden diese Reflexionen „noch durch 'Reibung der Geister', die nach der „Gründung des attischen Seebundes zwischen den klein-„asiatischen und Inselgriechen einerseits und zwischen Athen „anderseits stattfand. Jene waren ja in ihrer ganzen Ent-*

---

qui in ann. II[3] 288=586[2] id *„eine vage Hypothese"* appellat] *kann dieses ganz wohl wie das Pindarzitat* (de lege hominum domina) *in seinem Sinne* (i.e. de legibus) *verwendet haben."* Cf. H o r. *Sat.* I 1, 15.

1) De Thycidide sophistarum discipulo nuperrime scripsit W. N e s t l e *Thukydides und die Sophistik, Neue Jahrb. f. d. Klass. Altert.* 23 (1914) p. 667 sqq.

2) A r i s t. *Athen. Polit.* c. 41: *ἦν δὲ τῶν μεταβολῶν ἑνδεκάτη τὸν ἀριθμὸν αὕτη* (scilicet *ἡ μετὰ τὴν ἀπὸ Φυλῆς καὶ ἐκ Πειραιῶς κάθοδον ... ⟨ὅτε⟩ ὁ δῆμος ἐνεστήσατο τὴν νῦν οὖσαν πολιτείαν.*).

3) Cf. verba Periclis supra laudata (p. 66): *οὐ ζηλούσῃ τοὺς τῶν πέλας νόμους.*

4) l.l. p. 46.

5) p. 47.

„wicklung, in der geistigen, wie in der politischen, ihrem „Mutterlande weit vorausgeeilt. Sie waren schon frühzeitig „mit anderen Völkern in Berührung gekommen und hatten „fremde Sitten und Gebräuche kennen gelernt. Zudem „spielte sich bei ihnen das politische Leben noch rascher „ab als auf dem griechischen Festlande. Die häufigen „Verfassungsänderungen mussten hier schon früh die Kritik „über die Gesetze wachrufen." — Florente autem mercatura necesse erat ut Graeci aliorum quoque populorum, quibuscum iis commercium erat, iura, mores, leges, bene cognoscerent.

Itaque his quoque rebus sophistae, ἄνδρες πολυπλανεῖς, se studiosam iuventutem erudire professi sunt. Id ἐπάγγελμα in notis illis Protagorae verbis inesse mihi videtur: τὸ δὲ μάθημά ἐστιν εὐβουλία .... περὶ τῶν τῆς πόλεως, ὅπως τὰ τῆς πόλεως δυνατώτατος ἂν εἴη καὶ πράττειν καὶ λέγειν¹).

Sed longius progrediendum erat. Ipsa enim illa quae exstabat in rebus civilibus diversitas movebat quaestionem de origine iuris, legum; quid, unde esset lex, quid homines de ea opinari oporteret, investigabatur. Cuius rei Xenophon nobis servavit exemplum silentio non praetermittendum *Mem.* I 2,40 sqq., ubi Pericles et Alcibiades in scenam producuntur. Nil nunc nos moratur quaestio de Pericle Gorgiae discipulo²): quae difficilis est diiudicatu; at sophistarum eum disciplina usum fuisse ut per se verisimile est, ita ex hoc Xenophonteo loco demonstratur. De legibus eum interrogans Alcibiades: ἔχοις ἄν με διδάξαι, inquit, τί ἐστι νόμος; Sophistica est disputatio, non tamen inutilis nec iniucunda. Postremo Pericles (§ 46) καὶ ἡμεῖς, inquit, τηλικοῦτοι ὄντες

1) Plato *Prot.* 318 E.

2) Gorgias a Suida Periclis dicitur praeceptor, Philostratus quoque Gorgiae illum senem auditorem fuisse tradit; quod iam addubitavit Spengel *Συναγωγὴ τεχνῶν* p. 64 sqq., monens temporum rationes non bene convenire, atque ipsius Philostrati coniecturam eam videri (*οἶμαι*, Diels II³ 235, 23=544²); verba quoque Platonis (*Phaedr.* 85 sqq.) sibi certissimum praebere argumentum dicit Periclem non eruditum esse a Gorgia.

δεινοὶ τὰ τοιαῦτα ἦμεν· τοιαῦτα γὰρ καὶ ἐμελετῶμεν καὶ ἐσοφιζόμεθα, οἷάπερ καὶ σὺ νῦν ἐμοὶ δοκεῖς μελετᾶν. Cui Alcibiades lepide, εἴθε σοι τότε συνεγενόμην ὅτε δεινότατος ἑαυτοῦ ἦσθα.

II. De studiis formae reipublicae interioris.

Ad finem igitur perducta priore huius disquisitionis parte (cf. p. 67) videamus iam quid sophistae censuerint non de statu ipso reipublicae, qui qualisque esset, verum de eius origine, quo modo ortus esset, agentes non de legibus et institutis reipublicae, sed de causis in hisce ipsis positis. Quae inquisitiones principalem apud eos tenebant locum. Omnes autem huiusmodi investigationes mox hac una quaestione continebantur: status civilis essetne νόμῳ an φύσει. Hanc quoque controversiam in artis formam redegerunt sophistae [1]. De quibus singulatim videndum quomodo in ea arte versati sint.

De Protagora. Perlustratur mythos eius.

Iam statim eius qui primus inter pares fuit, Protagorae, habemus locum celeberrimum (*Prot.* 320 C sqq.), quo ea quaestio tractatur. Addubitat Socrates an virtus doceri possit. Sophista deinde per fabulam rerum progressum inde ab origine mundi exponit, indicatque quo modo αἱ πολιτεῖαι ortae sint et confirmatae [2]. Homines, tametsi artis ignisque facultate a Prometheo egregie ornati essent (quam ille Vulcano et Minervae surripuisset hominibusque impertiisset Epimetheo, qui munus a dis mandatum suscepisset ut singulis animalium generibus vires facultatesque suas tribueret, peracta munerum distributione nihil reliqui habente quo genus hominum exornaret), in periculo fuisse, ne misere perirent. Nam cum adhuc civitatis ordinandae gubernandaeque arte carerent, ideoque dispersi habitarent, bestiarum impetui impares ab iis dilaniatos

---

1) De Archelai studiis (cf. W. Nestle *Vorsokr.* p. 50), qui primus posuit *τὸ δίκαιον καὶ τὸ αἰσχρόν* non esse *φύσει* sed *νόμῳ* (Diog. L. II 16), plura dici non possunt.

2) Totum locum laudavit Dielsius (II³ 232, 26=540²), ultimus tractavit M. Pohlenz (l.l. p. 86).

esse. Itaque eos condidisse societates atque urbes, quo ferarum arcerent crudelitatem. Nec tamen eam rem ullam iis attulisse salutem, intestinis bellis statim coortis quibus rursus dissiparentur. Tum vero Iovem, generis nostri misericordia commotum, Mercurium in terras dimisisse qui feris hominum pectoribus Iustitiam (Δίκην) et Pudorem (Αἰδῶ) iniceret, atque hinc factum esse ut homines antea dispersi conderent urbes ac civitates, civilisque societatis vinculis coniuncti vivere inciperent.

Verba ipsius Protagorae sunt. Unde sumpta videantur.

Hoc fere fabulae argumentum est. Ipsius sophistae verba a Platone in mytho servata fuisse omnes fere viri docti nunc consentiunt [1]. Dissentiunt autem de libro unde sumpta sint [2]. H. G o m p e r z (p. 178 n. 363) libro cui titulus Μέγας λόγος attribuenda censet. W. N e s t l e et Sh. O. D i c k e r m a n n cogitant de commentario qui inscribitur Περὶ τῆς ἐν ἀρχῇ καταστάσεως, quos secutus est Dielsius [3]. Κατάστασιν significare posse 'πολιτείαν', „*Staatsregeling*", H. Gomperz ipse monuit collato *Isocrat.* III 26. Eandem vim habet apud Aristotelem [4]. Titulum itaque

---

1) M. P o h l e n z l.l. p. 92. Eodem tempore W. N e s t l e *(Programm Schönthal* 1908, p. 16 sq.) et Sh. O. D i c k e r m a n n *(De argumentis quibusdam apud Xenophontem, Platonem, Aristotelem obviis e structura hominis et animalium petitis,* Diss. Halis Sax. 1909) collatis *Her.* III 108 et Plat. *Prot.* 321 B, originem Protagoream probaverunt. Miror Heinricum Gomperz de iis tacere; alia autem via (p. 178 n. 363) eodem pervenit.

2) Sine causa M. P o h l e n z (l.l. p. 92, in not.) concludit: „*dass Plato „aus verschiedenen Schriften des Protagoras schöpft, ist wohl ange- „deutet, wenn Protagoras zunächst (320 C) nur einen Mythos geben will, von 324 D an aber ausdrücklich einen λόγος hinzufügt.*" Diversam spectant formam dicendi voces *μῦθος* et *λόγος* (*ἀλλὰ πότερον — μῦθον λόγων ἐπιδείξω, ἢ λόγῳ διεξελθών Prot.* 320 C). *Λόγος* quasi explicatio et interpretatio fabulae esse videtur (*τοιοῦτόν σοι, ὦ Σώκρατες, ἐγὼ καὶ μῦθον καὶ λόγον εἴρηκα* 328 C).

3) In ann. ad II³ 231, 11=539².

4) *Athen. Rep.* 41, 2: *πρώτη μὲν γὰρ ἐγένετο ἡ κατάστασις* et mox: *ὀγδόη δ' ἡ τῶν τετρακοσίων κατάστασις.*

recte vertit Th. Gomperz: *„Ueber die Anfänge der menschlichen Gesellschaft"*; et quae hac fabula a Protagora narrantur optime illi titulo conveniunt. Huic igitur libro tuto fabulam tribuas, praesertim cum Μέγας ille λόγος artem potius paedagogicam comprehendisse videatur.

De Protagorae Ἀντιλογικοῖς.

Aliud autem est Protagorae opus Ἀντιλογικά inscriptum, quod huc quoque pertinere videtur. De quo satis obscurum exstat testimonium (Diog. III 37): Εὐφορίων δὲ καὶ Παναίτιος εἰρήκασι πολλάκις ἐστραμμένην εὑρῆσθαι τὴν ἀρχὴν τῆς Πολιτείας (sc. Platonis), ἣν Πολιτείαν Ἀριστόξενός φησι πᾶσαν σχεδὸν ἐν τοῖς Πρωταγόρου γεγράφθαι Ἀντιλογικοῖς. Et (§ 57): Πολιτείας — ἣν καὶ εὑρίσκεσθαι σχεδὸν ὅλην παρὰ Πρωταγόρᾳ ἐν τοῖς Ἀντιλογικοῖς φησι Φαβωρῖνος ἐν Παντοδαπῆς ἱστορίας δευτέρῳ [1]. Aristoxenus igitur, et postea Favorinus, dixerunt sese totam fere Rempublicam Platonis in Ἀντιλογικοῖς Protagorae legisse. Quod cum grano salis accipiendum esse intellegimus; attamen veri aliquid inesse debet [2]. Elegantissime autem H. Gomperz probavit [3] tres theses quae in *Dialexesin* legantur atque in Platonis Republica recurrant, Protagorae Ἀντιλογικοῖς revera deberi, postea a Platone tractatas esse. Unde fabulam natam esse quae eum furti argueret. Agunt theses illae *de iusto et iniusto, de sortitione magistratuum, de perfecto oratore.* Quam rem deinde ex opinione sua praeiudicata considerans H. Gomperz conclusionem hanc ponit: *„Um es kurz zu fassen: was bei den Sokratikern „ein ernstes, sachliches Problem ist, das erscheint bei dem „Sophisten als eine rein epideiktisch verwendete Paradoxie* [4]."

De tribus Dialexeon fragmentis Protagoreum fontem prodentibus.

---

1) Diels II^3 230, 4=538^2.

2) Praetermitto solutiones huius rei a viris doctis prolatas. Ego quoque legendum puto, suppresso Πολιτείαν, ἣν (sc. ἀρχὴν τῆς Πολιτείας) Ἀριστόξενός φησιν κτλ. Unde error Favorini obscurum. An primam Reipublicae dicit editionem, quam nuper vindicavit M. Pohlenz l.l. p. 207 sqq.? Cf. H. v. Arnim *Platos Jugenddialoge* (1914) p. 71 sqq.

3) p. 153. 155. 156. 179 sqq.

4) p. 152.

Nos alia ex fragmentis illis colligimus. Quae antequam exponimus necesse est ut breviter agamus de Protagorae civili doctrina.

De notione iustitiae in studiis civilibus.

Quaestionum omnium, quae de civitate instituuntur, quasi fundamentum ea semper fuit quae est 'de iusto'. Initio civitates oriuntur ut singulorum iura serventur. Uno τῆς δίκης vinculo firmiter continentur. Sic Protagoras in mytho, 'Ερμῆν, inquit, πέμπει (sc. Ζεύς) ἄγοντα εἰς ἀνθρώπους Αἰδῶ τε καὶ Δίκην, ἵν' εἶεν πόλεων κόσμοι τε καὶ δεσμοὶ φιλίας συναγωγοί. Nam antequam Iustitia hominibus a Iove data est, iniuria afficiebantur, ὥστε πάλιν σκεδαννύμενοι διεφθείροντο. Legem itaque poni iussit Iuppiter τὸν μὴ δυνάμενον Αἰδοῦς καὶ Δίκης μετέχειν κτείνειν ὡς νόσον πόλεως. Multiplices autem variaeque semper exoriebantur commutationes reipublicae, cum alii aliam sibi proponerent iustitiae rationem. Itaque quid hac de re sentirent exponere debebant ii, qui studiis politicis operam dabant, ac disciplinam reipublicae optime capessendae excogitare sibi proposuerant.

Sic in Platonis *Republica* universa orditur disputatio ab exploranda iustitiae notione. Mox autem Socrates, quo clarius eius natura perspiciatur, ob oculos ponendam censet perfectae civitatis imaginem, ex qua demonstratur civitatis iustitiam in eo cerni, ut civium ordines suo quique satisfaciant muneri mutuaque concordia contineantur.

De Protagorae civili doctrina.

Latius Protagoras originem iustitiae indagavit. In mytho τὴν πολιτικὴν τέχνην vel ἀρετήν [1]), i. e. ipsam iustitiam [2]), qua quis recte temperaret civitatem, a Iove omnibus hominibus datam exposuit; καὶ πάντες μετεχόντων, sic iussit Iuppiter, οὐ γὰρ ἂν γένοιντο πόλεις εἰ ὀλίγοι αὐτῶν μετέχοιεν ὥσπερ ἄλλων τεχνῶν. Quod democraticum vel maxime est

1) Cf. *Protag.* 319 A, 322 B, 322 E, 323 ABC.

2) Vide *Prot.* 323 A: *ἡγοῦνται... πάντα ἄνδρα μετέχειν δικαιοσύνης τε καὶ τῆς ἄλλης πολιτικῆς ἀρετῆς* et 323 C: *πάντ' ἄνδρα εἰκότως ἀποδέχονται περὶ ταύτης τῆς ἀρετῆς σύμβουλον.*

placitum[1]. Negat id nobilium tantum esse privilegium[2]. Et cum omnes pariter iustitiae et pudoris participes facti sint, mirandum non est quod in rerum publicarum deliberationibus omnibus sententiae suae publice dicendae potestas datur. Non tamen negat divinam eius originem. Φύσει iustitiam hominibus quadamtenus innatam esse fabula docet. Quadamtenus tamen: nam in fine mythi ait ipse esse nonnullos iustitiae expertes, eosque severe puniendos esse. Quo enim modo διδάσκεσθαι virtus posset (id quod extremum in animo habet demonstrare), si φύσει ea tota exsisteret? Immo vero in explicanda fabula ipse Protagoras, ὅτι δὲ αὐτήν, inquit, οὐ φύσει ἡγοῦνται εἶναι οὐδ' ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου, ἀλλὰ διδακτόν τε καὶ ἐξ ἐπιμελείας παραγίγνεσθαι ᾧ ἂν παραγίγνηται, τοῦτό σοι μετὰ τοῦτο πειράσομαι ἀποδεῖξαι (323 C). Quod deinde ex eo probat quod poena afficiuntur οἱ ἀδικοῦντες. Cum igitur omnes iustitiae et pudoris munere fruantur, homines tamen virtutem non casu et fortuna sibi contingere, sed institutione, disciplina, exercitatione comparandam esse arbitrantur. Quae res optime se habet, et veram ostendit democraticam rationem: nempe omnium civium consensu constituendam esse notionem iuris (vernacule: „*rechtsbewustzijn*"), et definiendum quid ius sit, quid iniuria: ergo cuivis libere dicendi potestatem concedendam; sed aliud quid esse diiudicare quo modo in singulis rebus exercendum sit ius; hoc tantum iuris prudentibus contingere[3].

---

1) Vide infra conclusionem p. 129.

2) W. Nestle ad 323 C (παντὶ μετεῖναι): „*diesen Gedanken vor allem sollte der Mythus veranschaulichen.*"

3) Non aliter apud Ph. Kohnstamm *Democratie* p. 16 (*Synthese* II p. 92): „*niet hoe zeker doel zal worden bereikt heeft hij (de kiezer)* „*aan te geven, maar naar welke doeleinden moet worden gestreefd, wat* „*recht, wat zedelijk is in onze maatschappij.*" p. 18 (94): „*de vorming* „*van het rechtsbewustzijn, — niet het maken van het recht. Want* „*recht wordt niet gemaakt.*" p. 34 (110): „*de overweging dat het ieders*

Quid inde colligendum sit. Meo igitur iudicio Protagoras contendit facultatem iustitiae colendae (δίκην : '*rechtsbewustzijn*') omnibus hominibus φύσει esse innatam; eam autem ἐπιμελείᾳ et ἀσκήσει et διδαχῇ (323 D) exercendam esse [1], ut 'ἀρετήν' illam sibi quisque comparet. Qua in re alios alio spectare, et puniendo cives ad suam iustitiae notionem adducere; hanc igitur, qua in vita cotidiana utamur iustitia, νόμῳ exstare [2]. Ecce denuo synthesis iam saepius apud sophistas a nobis reperta inter

---

taak is mede te zoeken naar het recht, is reeds op zich zelve naar ons voorkomt afdoende ter fundeering der democratie."

1) Multi, qui philosophicam tantummodo Protagorae doctrinam apud Platonem quaesiverunt, inconstantiam loci nostri notaverunt. Sic M. Pohlenz l.l. p. 87: „*Dabei sind diese (Anschauungen) so widerspruchsvoll „wie möglich. Denn dieselben Athener die an die Lehrbarkeit der Tugend „glauben, billigen jedem das Beratungsrecht zu, weil sie überzeugt sind, „dass er die Tugend nicht wie ein Fach erlernt zu haben braucht, sondern „als Naturgabe in sich trägt. In Protagoras' Rede tritt auch dieser Wider- „spruch ganz scharf hervor.*" Et p. 88: „*Aber Protagoras macht nicht den geringsten Versuch die Widersprüche auszugleichen. — (Er) entzieht der eigenen Lehrtätigheit den Boden.*" Et p. 89: „*Protagoras spricht sich selber das Urteil, wenn er im Grunde alle Menschen als διδάσκαλοι τῆς ἀρετῆς hinstellt.*" Quod minime Protagoras perhibuit! Fugit M. Pohlenz certum discrimen esse inter duo illa diversa „*rechtsbewustzijn*" (δίκην) et „*uitoefening van het recht*" (ἀρετήν), quod bene sensit sophista quamquam non satis perspicuis verbis expressit. Magis tacito quodam sensu id discrimen cepisse quam mente ac ratione excogitatum habuisse videtur. Neque ea res ei vitio tribuenda. Sophistae enim magis πρακτικοί dici possunt, Socrates autem revera philosophus. Sophistarum semper erat: primum est vivere, deinde philosophari; at Socratis: primum est philosophari, deinde vivere (cf. *Gorg.* 486 C ubi Callicles Socrati, ἀλλ' ὠγαθέ, inquit, ἐμοὶ πείθου, παῦσαι δ' ἐλέγχων, πραγμάτων δ' εὐμουσίαν ἄσκει). Inde aeterna illa inter eos controversia!

2) Similem sententiam apud Thucydidem observavit W. Nestle *Thucydides und die Sophistik, Neue Jahrb. f. d. klass. Altert.* 33 (1914) p. 668. At iniuria deinde sic iudicat: „*Fragen wir uns nun aber, weshalb „der Gegensatz von νόμος und φύσις bei Thukydides durchaus nicht „mit der Schärfe hervortritt wie bei der Sophistik, so liegt der Grund „nicht darin, dass er ihn nicht kannte, sondern darin, dass der Geschichts- „schreiber tiefer dachte als die meisten Sophisten. Der νόμος ist auch*

duo illa opposita φύσιν et νόμον [1]. Quae νόμῳ sibi constituunt homines ea tum demum bonos ferunt fructus, si semina iam φύσει iis innata sunt: laudabile mehercle consilium paedagogicum [2]: quod in arte docendi sophistas non neglexisse postea videbimus [3].

Idem ex Dialexeon fragmentis conficiendum.

Prorsus eandem vero civilem doctrinam, exemplis e vita cotidiana petitis fusius expositam, in 'Αντιλογικοῖς a Protagora prolatam esse apparet, in fragmentis dumtaxat iis quae 'Dialexeis' inscribuntur, ad quae nunc redeundum.

De fragmento tertio.

In fragmento tertio [4] disceptatio 'περὶ δικαίου καὶ ἀδίκου' tractatur. Monet sophista duas de iis esse opiniones, quarum una ea prorsus diversa, altera contra eadem esse autumet. Statim adicit sese hanc alteram probaturum [5]. Perspicuis deinde demonstrat exemplis ea quae in universum ἄδικα habeantur (ψεύδεσθαι § 2; κλέπτεν καὶ βιῆσθαι § 3. 4; ἀνδραποδίξασθαι καὶ τοιχωρυχέν § 5; ἐπιορκέν § 6. 7; ἱεροσυλέν § 8; φονεύεν § 9; ὅστις ἐξαπατῇ § 10. 11) tamen pro tempore et pro re δίκαια esse. Res manifesta negari non potest. Actio quaedam tam iusta quam iniusta esse potest. Ergo huius rei ratio est habenda. Sponte hic nobis in mentem venit illud Protagorae: πάντων χρημάτων μέτρον ἄνθρωπος. Absurdum autem esse inde

„ihm, wie bei der Sophistik, das Werk der Menschen; aber da diese „selbst ein Erzeugnis der Natur sind, so ist auch die Sitte nichts anderes „als ein mittelbares Erzeugnis der Natur. Das ganze Wesen der Menschen „nach seiner geistigen wie nach seiner körperlichen Seite ist vom „Naturgesetz beherrscht: Das ist die Ueberzeugung des Thucydides." Recte, sed ea sententia a sophistis non aliena, immo ex iis hausta est (vide infra p. 89 sq. de Anonymi Iamblichi fr. 6).

1) Vide conclusionem huius opusculi, p. 129.

2) Non ex quovis ligno fit Mercurius: dictum igitur Pythagoreum sophistico ex fonte haustum esse videtur.

3) Vide infra § 4.

4) Diels II[3] 339, 3=641[2].

5) *καὶ ἐγὼ τούτῳ πειρασοῦμαι τιμωρέν*: *„ich will versuchen der letzteren Behauptung zu Hilfe zu kommen"* (W. Nestle *Vorsokr.* p. 233); *„und dieser will ich beizustehen versuchen"* (H. Gomperz p. 142).

efficere ut nihil intersit inter iustum et iniustum, fieri enim omnino non posse ut quis eodem tempore et in eadem re iustus sit et iniustus, in fine fragmenti non praetermittit indicare sophista. Utraque igitur sententia secundum eum partem ostendit veritatis. Generaliter statui non potest hoc esse iustum, illud iniustum. Pro re nata quid cuique faciendum sit ipse diiudicare debet — νόμῳ definitur τὸ δίκαιον: homo eius mensura est. Minime vero ex hominum tantum arbitrio pendent iusta et iniusta. Vir iustus numquam iniustus dici potest. — Laudanda hic sunt Protagorae apud Platonem [1]) verba, quae eandem docent thesin [2]), ut ipsius sophistae habenda sint: ἐπεὶ οἷά γ' ἂν ἑκάστῃ πόλει δίκαια καὶ καλὰ δοκῇ, ταῦτα καὶ εἶναι αὐτῇ, ἕως ἂν αὐτὰ νομίζῃ. ἀλλ' ὁ σοφὸς ἀντὶ πονηρῶν ὄντων αὐτοῖς ἑκάστων χρηστὰ ἐποίησεν εἶναι καὶ δοκεῖν.

De fragmento septimo. De *sortitione magistratuum* agit fragmentum septimum [3]). Quam postquam Themistocles etiam in archontibus creandis instituit [4]) arcem semper democratiae habitum fuisse scimus [5]); ἔστι δὲ δημοκρατία μὲν πολιτεία ἐν ᾗ κλήρῳ διανέμονται τὰς ἀρχάς (Arist. *Rhet.* I 8). Quin etiam Otanes Persa, qui democratiam monarchiae praeponit, de illa πάλῳ μὲν γὰρ, inquit, ἀρχὰς ἄρχει. (Her. III 80). Fuerunt tamen Athenis quoque semper magistratus qui suffragio populi creabantur [6]): χειροτονοῦσι δὲ καὶ τὰς (sc. ἀρχὰς) πρὸς τὸν πόλεμον ἁπάσας (Arist. *Athen. Polit.* 43,1). Neque est cur miremur utrum magistratus κλήρῳ an αἱρέσει [7]) creandi essent saepius Athenis

---

1) Plato *Theaet.* 167 C, in Apologia quae dicitur Protagorae (Diels II³ 225, 30=533²); cf. supra p. 20 sq.

2) Quid ex hoc loco enucleaverit H. Gomperz legas p. 228. 261 sqq.

3) Diels II³ 343, 21=646².

4) Cf. Arist. *Athen. Polit.* 22; Lehmann-Haupt *Klio* 1906, p. 308.

5) Plato *Legg.* VI 757; Arist. *Athen. Polit.* 43.

6) Gilbert *Handbuch der Gr. Staatsalterthümer* I² p. 240.

7) Utramque rationem cum democraticis institutionibus bene convenire docet Aristoteles *Pol.* 1300 a 30 ff. Quem locum documento nobis

atque in aliis democratiis esse quaesitum, eamque quaestionem sophistas quoque tractasse. Ex Protagorea autem rerum civilium opinione, quam supra exposuimus, necessario efficitur, ut sortitionem reiecerit, suffragium laudaverit [1]), prorsus eadem igitur docuerit atque leguntur in *Dialexeon* fragmento septimo, quod nunc totum exscribere iuvat [2]): (1) λέγοντι δέ τινες τῶν δαμαγορούντων, ὡς χρὴ τὰς ἀρχὰς ἀπὸ κλάρω γίνεσθαι, οὐ βέλτιστα ταῦτα νομίζοντες. (2) εἰ γάρ τις αὐτὸν ἐρωτῴη τὸν ταῦτα λέγοντα, τί δὴ σὺ τοῖς οἰκέταις οὐκ ἀπὸ κλήρω τὰ ἔργα προστάσσεις, ὅπως ὁ μὲν ζευγηλάτας, αἴ κ᾽ὀψοποιὸς λάχῃ, ὀψοποιῇ, ὁ δὲ ὀψοποιὸς ζευγηλατῇ, καὶ τἆλλα καττωὐτό ; (3) καὶ πῶς οὐ καὶ τὼς χαλκῆας καί, τὼς σκυτῆας συναγαγόντες καὶ τέκτονας καὶ χρυσοχόας διεκλαρώσαμεν καὶ ἠναγκάσαμεν, ἄν χ᾽ἕκαστος λάχῃ τέχναν ἐργάζεσθαι, ἀλλὰ μὴ ἂν ἐπίσταται ; (4) τωὐτὸν δὲ καὶ ἐν ἀγῶσι τὰς μωσικᾶς διακλαρῶσαι τὼς ἀγωνιστὰς καὶ ὅ τι χ᾽ἕκαστος [κα] λάχῃ ἀγωνίζεσθαι· αὐλητὰς κιθαρίξει τυχὸν καὶ κιθαρῳδὸς αὐλήσει· καὶ ἐν τῷ πολέμῳ [τὼς] τοξότας καὶ [τὼς] ὁπλίτας

---

esse Aristotelem in studiis civilibus multa a sophistis duxisse recte iudicat Max Pohlenz l.l. p. 74 n.

1) Ac sic refutantur quae de hoc fragmento scripsit H. Gomperz p. 155.

2) Qui de hoc fragmento egerunt haec dicta esse perhibent in democratia quadam, ubi sortitio magistratuum ignota esset; dissentiunt quaenam ea sit. Sententiam suam mentione nomophylacum (§ 7) probatam existimant (H. Gomperz p. 152; M. Pohlenz p. 74). Quibuscum facere non possum. Recte hoc se haberet si „declamatio" tantummodo esset. Oratorum enim eloquentiae „semper fuit moderatrix auditorum prudentia, ad eorum arbitrium et nutum totos se fingunt et accommodant" (Cic. *Orator* § 24); quae forensis consuetudo a scholis prorsus aliena est. Doctrinam itaque suam civilem ubique exponere potuit sophista — etiam Athenis. Etenim mox Plato in *Republica* iisdem fere argumentis sortitionem oppugnavit. Genus linguae non esse atticum haud magni puto: nonne peregrinus literarum studiosus Athenis sua dialecto lectiones sophistarum in commentarium referre potuit, vel etiam domi suae ab alio transcribere? Cf. M. Pohlenz l.l. p. 74 (infra p. 84 not. 3).

ἱππασεῖται, ὁ δὲ ἱππεὺς τοξεύσει, ὥστε πάντες ἃ οὐκ ἐπίστανται οὐδὲ δύνανται, [οὐ δὲ] πραξοῦντι. (5) λέγοντι δὲ καὶ ἀγαθὸν ἦμεν καὶ δαμοτικὸν κάρτα· ἐγὼ ἥκιστα νομίζω δαμοτικόν. ἐντὶ γὰρ ἐν ταῖς πόλεσι μισόδαμοι ἄνθρωποι, ὧν αἴ κα τύχῃ ὁ κύαμος, ἀπολοῦντι τὸν δᾶμον. (6) ἀλλὰ χρὴ τὸν δᾶμον αὐτὸν ὁρῶντα αἱρεῖσθαι πάντας τὼς εὔνως αὐτῷ, καὶ τὼς ἐπιταδείως στραταγέν, ἀτέρως δὲ νομοφυλακὲν καὶ τἆλλα. [1])

De fragmento octavo. Ad tertium transeamus *Dialexeon* locum[2]), qui agit de perfecto rhetore. Obscurus est locus et perturbatus[3]); de quo pauca tantum monere iuvat. Verbis identidem perlectis facere non possum quin impugnem ea quibus scriptoris sententiam exposuit H. Gomperz (p. 156): „*Drittens aber* „*besagt die hier entwickelte Lehre so ziemlich das genaue* „*Gegenteil der im vorhergehenden, siebenten, Abschnitt* „*ver-*„„*tretenen*" *Ansicht, die Funktion habe sich nach der Sach-*„*kunde zu richten, da ja hier dem Redner auf Grund seiner* „*formalen Befähigung die Fähigkeit zu so ziemlich allen* „*Funktionen zugesprochen wird.*" Immo vero perfectum oratorem (is qui potest κατὰ βραχὺ διαλέγεσθαι) eum demum esse posse autumat qui omnia sciat et docere possit (ἐπίστασθαι — διδάσκεν). Primum est scire, deinde artem colere rhetoricam. Qui multa scit, multis rebus studuit, is demum bonus orator esse potest: δεῖ γὰρ τὸν μέλλοντα ὀρθῶς λέγειν, περὶ ὧν ἐπίσταται, περὶ τούτων λέγεν (§ 4). Hoc propositum variis deinde modis iteratur.

---

1) De frequenti vocis *ἐπίστασθαι* in hoc fragmento usu conferas infra p. 85 sq.

2) Fragm. 8: Diels II³ 344, 9=647².

3) Studiosum artis sophisticae aliquem at philosophiae expertem scripsisse haec fragmenta, quae iusta disputationis progressione omnino carent, tuto ponere licet. Vocat ea M. Pohlenz (p. 73): „*das Kollegheft eines Schülers*"; cf. p. 74: „*Ein φιλοσοφῶν, also ein Student in unserm* „*Sinne, hat einen Vortrag aus einem sophistischen Kursus nachgeschrie-*„*ben. Dabei ist er gegen Schluss immer knapper und flüchtiger geworden.*"

Omnia itaque scire debet qui de omnibus rebus loqui meditatur[1]: ὅς γα ⟨μὰν⟩ τὰν ἀλάθειαν τῶν πραγμάτων ἐπίσταται, εὐπετὴς ὁ λόγος, ὅτι πάντα, ἐπίσταται· ὡς (itaque) δὲ ⟨καὶ κατὰ⟩ βραχὺ ⟨διαλέγεσθαι δύναται, αἴ κα⟩ δέῃ νιν ἐρωτώμενον ἀποκρίνεσθαι, περὶ πάντων. οὐκῶν δεῖ νιν πάντ' ἐπίστασθαι (12 sq.). Illud 'δεῖ ἐπίστασθαι' saepius iteratum (§ 4. 6. 9. 10. 13) ad verum scripti consilium intellegendum haud parum conferre arbitror. Si quid video eo declaratur aliquem hac tantum condicione bonum oratorem fieri posse si cura et studio multa didicerit: idem quod Hippiam perhibuisse legimus qui, quod Lacedaemonii πάσης τῆς ἀρχαιολογίας amatores essent, ipse quoque cogeretur ἐκμεμαθηκέναι τε καὶ ἐκμεμελετηκέναι πάντα τὰ τοιαῦτα[2]. Mera igitur rhetorica (*'formale Rhetorik'*) revera nihili est. Immo optimus orator, eo ipso quod omnium rerum scientia imbutus est, gubernaculum rei publicae tenere potest: δεῖ δὲ ἐπίστασθαι τὸν μέλλοντα ὀρθῶς λέγεν, περὶ ὅτων κα λέγῃ, ⟨τὰ πράγματα⟩, καὶ τὰ μὲν ἀγαθὰ ὀρθῶς διδάσκεν τὴν πόλιν πράσσεν, τὰ δὲ κακά τως κωλύειν (§ 6). Officia publica semper praestabit: ⟨ὁ⟩ δὲ ποτὶ τωὐτὸν (?) τὰ δέοντα πράξει, αἰ χρή. Necessitudinem igitur exstare et congruentiam inter fragmenti nostri sententiam et Protagorae doctrinam civilem, quivis facile videbit.

Hinc quoque optime intellegi potest unde controversia orta sit inter Socratem (Platonem) et sophistas. Concedebant sophistae eos qui rempublicam administrarent sine rerum scientia, quam institutione sibi comparare possent, nil valere; quid in civitate pro iusto, quid pro iniusto, pro

1) Sic octava quoque paragraphus recte intellegitur: *καὶ μαν* (sic lego cum H. Gomperz p. 148 n. 317) *ἐπίσταται αὐλέν, αἰ* [sic mss., Diels^3 *ἀὶ = ἀεὶ*] *δυνασεῖται αὐλέν, αἴ κα δέῃ τοῦτο πράσσεν*: i.e. tibia canere scit (debet scire) is, qui de ea re agere debet — si id quidem potest discere. locum prave intellexit H. Gomperz p. 156. Verba autem corrupta esse videntur.

2) *Hipp. Mai.* 285 E.

honesto turpique acciperetur, eos scire (ἐπίστασθαι) debere; neglegebant tamen id quod Socrates [1]) semper maximi putabat: nempe ut claram discipulis traderet notionem iusti et iniusti, honesti turpisque (τὸ γιγνώσκειν). Idque recte: omnes enim vivere atque agere debemus, non omnes philosophari; hanc veram democraticam doctrinam[2]) semper propagaverunt.

De Gorgiae studiis civilibus. Idem de Gorgia valet; qui quid de rebus civilibus deque iuvenibus ad rem publicam administrandam formandis senserit, breviter indicabimus. De vi enim atque natura artis rhetoricae, cui primum in civitate gubernanda locum tribuit sophista, cum disputant Socrates Gorgiasque, docet philosophus ante omnia sophistam fugisse multum interesse inter scientiam, ἐπιστήμην, et fidem, πίστιν (*Gorgias* 454 E); scientiam enim semper cum veritate esse coniunctam, fidem autem saepenumero a veritate longe abesse. Eandem in hac controversia proponit antithesin[3]). Quam minoris arbitrans momenti sophista non dubitat profiteri sibi omnem rhetorices vim ad fidem de iusto aut iniusto faciendam videri referendam[4]). Addit oratorem artem suam iuste adhibere oportere, neque tamen magistris vitio vertendum, si discipuli hac arte abutantur[5]). Et quamquam Socrates facillime inde ducit

---

1) In civili sua doctrina exponenda regnandi potestatem unis philosophis, vere sapientibus, dedit, qui rerum notitiam se habere non dictitarent, sed virtutis amore incensi omnes vires ad eam penitus cognoscendam, intelligendam, excolendam conferrent; vide *Respubl.* V 473 B sqq. Eiusdem libri V exitus procul dubio spectat sophistarum doctrinam, secundum quam *φιλοδόξους* (480 A), qui vera sapientia careant, *δόξαν* tantummodo habeant (*δοξάζειν — γιγνώσκειν δὲ οὐδέν* 479 E), praeponi reipublicae monet Socrates. Cf. *Gorg.* 527 A—E.

2) Ph. Kohnstamm *Democratie* p. 34 (*Synthese* II p. 110).

3) Arcte eam cohaerere cum antithesi illa *φύσις — νόμος* quam sophistae componere conati sunt, nemo non videt (cf. infra p. 129).

4) Ἡ *ῥητορικὴ ἄρα ὡς ἔοικεν πειθοῦς δημιουργός ἐστιν πιστευτικῆς, ἀλλ' οὐ διδασκαλικῆς, περὶ τὸ δίκαιόν τε καὶ ἄδικον* (*Gorg.* 455 A).

5) Hanc ipsius Gorgiae esse sententiam recte monet M. Pohlenz

reprehendendi argumentum, rogans nonne ei, qui rhetoricen percepturus sit, necesse sit, ut priusquam ad eam tractandam accedat iusti et iniusti, turpis et honesti, boni et mali cognitione iam imbutus sit, eamque discipulis tradat — responsum tamen Gorgiae (460 A) probabimus: sese arbitrari ea quoque ex sua disciplina hausturum esse eum, qui eorum fuerit ignarus et imperitus (ἀλλ' ἐγὼ μὲν οἶμαι, ὦ Σώκρατες, ἐὰν τύχῃ μὴ εἰδως, καὶ ταῦτα παρ' ἐμοῦ μαθήσεται). Incidit tamen in insidias ab interlocutore structas: nos autem Gorgiae concedamus oportet nullo modo fieri posse ut omnes, quicumque rem publicam velint capessere, iudicii sui rationes philosophica investigatione enodent et quasi in membra discerpant. At rem ipsam Socrates optime explanavit[1]), rhetoricen (i.e. sophisticen) quattuor illis artibus adiciens quae non salutem hominum sed utilitatem spectent, neque ratione et veri cognitione, sed solo usu et exercitatione nitantur.

Iusto habuit loco philosophiam.

Ac ne quis a nobis hoc ita dici miretur — philosophiam supervacaneam esse hisce omnibus omnino non probatur. Neque sophistae id perhibuerunt; sed suam philosophiae esse provinciam[2]), ad vitae publicae usum alia opus esse institutione. Quod Calliclem sophistam[3]) inprimis Socrati obiecisse legimus[4]), qui philosophiam in pueris et adolescentulis, si modeste tractetur, non improbandum, in viris autem nullo modo ferendam esse censet; quin etiam libere confitetur se haud scire an humano generi nihil

---

l. l. p. 133 n. collatis Isocratis, Gorgiae discipuli, duobus locis (*Nic.* 3, 4; *Antid.* 251 sqq; cf. quae infra hac de re dicemus, § 4 p. 101 sqq.).

1) Eo loco quo arguit artem rhetoricam et sophisticam mentiri, simulare verae artis virtutes, speciem tantum esse quandam atque umbram scientiae (*Gorg.* 464 B sqq.).

2) Plato *Gorg.* 485 A: *ὀρθότατόν ἐστι ἀμφοτέρων μετασχεῖν· φιλοσοφίας μὲν ὅσον κτλ.*

3) Cf. M. Pohlenz l.l. p. 142 n. 3. Conferas locos huc pertinentes quos collegit W. Nestle ad Platonis *Gorg.* 484 C.

4) Plato *Gorg.* 484 C sqq.

perniciosius datum sit quam philosophia, cuius amore adducti sedeant homines domi et in angulis lateant, vitent hominum societatem, ut de rebus nullius momenti colloquantur, at inopes consilii haereant, ubi aliquid in publico agendum sit[1].

De Prodico. Hanc autem sophistarum rationem non voluptatem hominum tantum respicere, quod crimini iis dedit Socrates[2], fabula sua illustravit Prodicus. Virtutis, quam tradere studebant, viam asperam et perdifficilem esse, id ante omnia Herculi iuveni proponitur. Qua in re sophistam vitam praesertim 'practicam' spectasse neque quid cuique excogitandum, verum quid faciendum, quid agendum esset monuisse, passim in fabula est videre[3]. Rem autem acu tetigisse mihi ille videtur cum ait sophistam, virtutis praeceptorem, esse μεθόριον φιλοσόφου τε ἀνδρὸς καὶ πολιτικοῦ[4].

De Antiphonte. Venio nunc ad Antiphontem, quem magistri partes in rebus civilibus egisse titulus[5] libri eius 'περὶ ὁμονοίας' satis declarat. Ad concordiam inter sese colendam cives adhortari studuit. Certiora autem de huius libri argumento dici vix possunt[6]. Sed laudare hic fortasse apte licet

---

1) Endem fuisse sententiam Periclis docet Xen. *Mem.* I 2, 46 (*τηλικοῦτοι ὄντες δεινοὶ τὰ τοιαῦτα ἦμεν*). Conferenda sunt verba Periclis: *φιλοσοφοῦμεν ἄνευ μαλακίας* (*Thuc.* II 40, 1), et Calliclis: *μαλακίαν τῆς ψυχῆς* (*Gorg.* 491 B).

2) Plat. *Gorg.* 464 D: *καὶ τοῦ μὲν βελτίστου οὐδὲν φροντίζει, τῷ δὲ ἀεὶ ἡδίστῳ θηρεύεται τὴν ἄνοιαν καὶ ἐξαπατᾷ, ὥστε δοκεῖ πλείστου ἀξία εἶναι.*

3) Xen. *Mem.* II 1, 21 : *ἐπὶ τὸν βίον* ; 22: *ἐπὶ τὸν βίον* ; 27 : *ἐργάτην* ; 28 : *θεραπευτέον, εὐεργετητέον, ὠφελητέον, πειρατέον εὖ ποιεῖν κτλ.* ; 32: *ἔργον* ; 33 : *πράττοντες.*

4) Plat. *Euthyd.* 305 C. De vi fabulae fusius agam infra (§4 p. 96).

5) De hoc titulo conferenda sunt quae attulit Dielsius II^2 298, 21 sqq.=597^2.

6) Dissertationes E. Jacoby (*De Antiphontis sophistae περὶ ὁμονοίας libro*, Berolini 1908), et W. Altwegg (*De Antiphonte qui dicitur sophista quaestionum particula I: De libro περὶ ὁμονοίας scripto,* Basileae 1908), quas H. Gomperz neglexit, equidem lectoribus diligentioribus commendatas velim.

quae cum Hippia disseruit Socrates[1]: ἀλλὰ μὴν καὶ ὁμόνοιά γε μέγιστόν τε ἀγαθὸν δοκεῖ ταῖς πόλεσιν εἶναι καὶ πλειστάκις ἐν αὐταῖς αἵ τε γερουσίαι καὶ οἱ ἄριστοι ἄνδρες παρακελεύονται τοῖς πολίταις ὁμονοεῖν, καὶ πανταχοῦ ἐν τῇ Ἑλλάδι νόμος κεῖται τοὺς πολίτας ὀμνύναι ὁμονοήσειν . . . · οἶμαι δ' ἐγὼ ταῦτα γίγνεσθαι οὐχ ὅπως τοὺς αὐτοὺς χοροὺς κρίνωσιν οἱ πολῖται, οὐδ' ὅπως τοὺς αὐτοὺς αὐλητὰς ἐπαινῶσιν . . . . ἀλλ' ἵνα τοῖς νόμοις πείθωνται· . . . ἄνευ δὲ ὁμονοίας οὔτ' ἂν πόλις εὖ πολιτευθείη οὔτ' οἶκος καλῶς οἰκηθείη.

Illud legibus parere Antiphontem quoque primam dixisse condicionem concordiae, docet fragmentum 61[2]: ἀναρχίας δ' οὐδὲν κάκιον ἀνθρώποις· ταῦτα γινώσκοντες οἱ πρόσθεν ἄνθρωποι ἀπὸ τῆς ἀρχῆς εἴθιζον τοὺς παῖδας ἄρχεσθαι καὶ τὸ κελευόμενον ποιεῖν, ἵνα μὴ ἐξανδρούμενοι εἰς μεγάλην μεταβολὴν ἰόντες ἐκπλήσσοιντο. Et saepius iam observatum est fragmentum septimum Anonymi qui dicitur Iamblichi[3]) eodem spectare[4]. Vivere, crescere, florere civitatem εὐνομίᾳ, ἀνομίᾳ autem cito ad perniciem deduci, longiore disputatione ibi exposuit sophista. Talia licet ab Heinrico Gomperz „*Selbstverständlichkeiten*" vel „*Trivialitäten*" vocentur[5], eos qui diligenter attendunt ad conatus huius aetatis paedagogorum, quibus iuventutem nova quadam civili et democratica institutione educare student, non fugit quanti momenti et sint et semper futura sint[6].

De Anonymi Iamblichi fragmento septimo.

Anonymum autem Iamblichi quoniam commemoravimus,

1) Xen. *Memor.* IV 4, 16. Aliter autem de *ὁμονοίᾳ* et *στάσει* Socratem inducit loquentem Plato *Resp.* VIII 545 C sqq., quem locum conferas.

2) Diels II³ 303, 22=602².

3) Diels II³ 332, 26=633².

4) Qua de causa a nonnullis ipse Antiphon omnium Anonymi Iamblichi fragmentorum scriptor habetur, cf. Diels ad II³ 329, 25.

5) l.l. p. 62. 68. De fragmento Anonymi sic iudicat: „*der Gedankeninhalt . . . ist gleich Null*" (p. 88).

6) Eas institutiones dico, quae vocabulis „*Staatsbürgerliche Erziehung*" et „*Selfgovernment*" potissimum indicantur. Lectorem huius rei studiosum ad scripta viri doctissimi Fr. W. Foerster delego.

omittendum non est fragmentum eius sextum [1]. Quod eandem profert sententiam de origine civitatum, quam supra in mytho Protagorae expositam invenimus; itemque synthesin quandam inter φύσιν et νόμον constituit: εἰ γὰρ ἔφυσαν μὲν οἱ ἄνθρωποι ἀδύνατοι καθ' ἕνα ζῆν, συνῆλθον δὲ πρὸς ἀλλήλους τῇ ἀνάγκῃ εἴκοντες, πᾶσα δὲ ἡ ζωὴ αὐτοῖς εὕρηται καὶ τὰ τεχνήματα πρὸς ταύτην, σὺν ἀλλήλοις δὲ εἶναι αὐτοὺς κἀν ἀνομίᾳ διαιτᾶσθαι οὐχ οἷόν τε (μείζω γὰρ αὐτοῖς ζημίαν ⟨ἂν⟩ οὕτω γίγνεσθαι ἐκείνης τῆς κατὰ ἕνα διαίτης), διὰ ταύτας τοίνυν τὰς ἀνάγκας τόν τε νόμον καὶ τὸ δίκαιον ἐμβασιλεύειν τοῖς ἀνθρώποις καὶ οὐδαμῇ μεταστῆναι ἂν αὐτά· φύσει γὰρ ἰσχυρὰ ἐνδεδέσθαι ταῦτα. Natura, φύσει, igitur a principio ius et iustitia exstiterunt. Quae si quis evertere conatur, institutionibus tamen homines servari possunt: ἀρκεῖν γὰρ ἂν τοὺς ἅπαντας ἀνθρώπους τῷ τοιούτῳ φύντι πολεμίους κατασταθέντας διὰ τὴν ἑαυτῶν εὐνομίαν, καὶ τὸ πλῆθος ἢ τέχνῃ ἢ δυνάμει ὑπερβαλέσθαι ἂν καὶ περιγενέσθαι τοῦ τοιούτου ἀνδρός. οὕτω φαίνεται καὶ αὐτὸ τὸ κράτος, ὅπερ δὴ κράτος ἐστί, διά τε τοῦ νόμου καὶ διὰ τὴν δίκην σῳζόμενον.

Haec satis sunto ad studia politica sophistarum adumbranda. Haud ignoro permulta disseri posse de reliquorum sophistarum, praesertim Hippiae, Critiae, Thrasymachi, Calliclis, civili disciplina. Sed qui hoc agit, ut quaerat rhetoresne an potius iuventutis praeceptores putandi sint sophistae, ei satis est principum in hac arte virorum exposuisse doctrinam, Protagorae dico et Gorgiae, Prodici Hippiaeque. De Hippia, quem identidem nominavimus, fusius agere id circo supersedeo, quod illis adnumerandus est qui, novo discrimine inter φύσιν (naturam) et legem (νόμον) constituto, ius dominandi in debiliores a natura validioribus concessum esse contenderunt [2]. Quae doctrina iam

---

1) Diels II³ 332, 5 sqq.=632².

2) Cf. W. N e s t l e *Politik und Aufklärung in Griechenland im Ausgang des V Jahrh. v. Chr.*, *Neue Jahrb. f. d. klass. Altert.* 23 (1909) p. 1—22;

satis longe deflectit a propria sophistarum democratica disciplina. De qua quae supra exposuimus sufficere nobis videntur ad redarguenda haec verba Heinrici Gomperz[1]): *„Am deutlichsten zeigt sich ja dieses Verhältniss (sc. dass „die Sophisten nur eine formale Fertigkeit mitteilten) vielleicht „in der Politik. Keine Spur weist darauf hin, dass der Un„terricht eines einzelnen Sophisten von Anhängern einer „bestimmten (aristokratischen oder demokratischen) Partei„richtung bevorzugt worden wäre. Der Sophist.... vermied „es offenbar, selbst über politisch kontroverse Themen zu „sprechen..., indem er seinen Kunstleistungen... entweder „paradoxe Thesen, oder selbstverständliche Maximen (zu„grunde legte).“* Quam falsa haec sint accurata Aristotelis politicorum scriptorum indagatione instituta demonstrari poterit. Verum haec investigatio, quae paucis absolvi nequit, in aliud tempus differenda est.

---

§ 4. De sophistarum studiis paedagogicis.

Τοῦ μὲν ζῆν τὴν φύσιν αἰτίαν ὑπολήπτέον, τοῦ δέ καλῶς ζῆν τὴν ἐκ τῶν γραμμάτων συγκειμένην παιδείαν.

Diodorus.[2])

Ignota ante sophistarum tempora erant studia paedagogica.

Ex sophistarum studiis theologicis, philologicis, civilibus, quorum fama ad nos pervenit, parvam collegimus segetem, testimoniorum autem quae ad studia eorum paedagogica pertinent vix rarum servatum est specilegium. Constat tamen in hac quoque disciplina eos viam aliis muni-

---

S. Kriegbaum *Der Ursprung der von Kallikles in Platons Gorgias vertretenen Anschauungen* (*Studien zur Philosophie und Religion*, Heft XIII).

1) p. 123.

2) Cf. Aristot. apud Diog. Laert. V 19: *τῶν γονέων τοὺς παιδεύσαντας ἐντιμοτέρους εἶναι τῶν μόνον γεννησάντων· τοὺς μεν γὰρ τὸ ζῆν, τοὺς δὲ τὸ καλῶς ζῆν παρασχέσθαι.*

visse, Neque mirum eos, qui audacter primi τὸ διδάσκειν professi sint, non solum inquisivisse in ea quae docerent, sed etiam in eos qui discerent. Huius scientiae atque artis, quae hodie maximo in honore est, vix ullum invenitur vestigium ante sophistarum tempora [1]. Neque quemquam eam curasse iam inde colligitur quod primi philosophi tantummodo de rerum natura (περὶ φύσεως) disputaverunt. Omnium primum desiderari coepta est in orbis terrarum ocello, nempe Athenis, cum florerent aequis legibus. Sophistarum vero laus est id, quod omnes tunc animo praecipiebant vel sentiebant — in unoquoque homine latere et quasi dormire vires et facultates quae in publicum usum educandae essent —, protraxisse et in artem redactam cives suos docuisse. Ὁμολογῶ τε σοφιστὴς εἶναι καὶ παιδεύειν ἀνθρώπους, profitetur Protagoras apud Platonem (*Prot.* 317 C); et in *Republica* (492 D) commemorantur παιδευταί τε καὶ σοφισταί, cui optime convenit quod ἀρετῆς διδάσκαλοι supra a nobis reperti sunt. Ac mihi

Sophistarum ea maxime laudanda sunt.

quidem constat — quod nunc probare conabor — in arte illa paedagogica exercenda sophistas sibi in primis gloriam et quaesivisse et merito esse adeptos. Παιδευταί autem hi quantum a meris illis rhetoribus, quos H. Gomperz sibi finxit, distent, identidem indicare iam supersedeo, ne lectoribus taedium afferam.

Singulorum nunc locis et testimoniis huc pertinentibus perlustratis ipsa sophistarum paedagogica doctrina qualis fuerit facile perspicietur; quae autem quantum apud aequales posterosque valuerit in Appendice huius libelli breviter indicare lectori haud ingratum fore putavi [2].

De Protagora.

De Protagora paedagogo ante hos paucos annos egregiam scripsit commentationem v. d. Adolf Busse [3].

1) Cf. Monroe, Davidson, alios supra p. 25 laudatos.

2) Infra p. 132 sqq.

3) A. Busse *Die Anfänge der Erziehungswissenschaft, Neue Jahrb. f. d. klass. Altert.* 26 (1910) p. 465—477. Pauca adiecit Bitterauf, ibid.

cui nihil fere addendum est. Ex fragmentis quamvis truncatis perspicuum est eum tribus elementis suas cuique partes dedisse. Φύσεως καὶ ἀσκήσεως διδασκαλία δεῖται [1]), brevi hac sententia quid sentiret de arte educandi comprehendit. Qua thesi vehementer impugnavit tam veteres quibus φύσις una necessaria esse videbatur [2]), quam suae aetatis homunciones qui illam nullius esse momenti dictitabant, nec videbant sic non δημοκρατίαν sed ὀχλοκρατίαν nasci. Protagoras illud aut—aut in suum et—et commutavit, pro antithesi synthesin substituens. „*Er* [3]) *machte damit die* „*Frage von der Engherzigkeit parteipolitischer Auffassung* [4]) „*frei und erhob sie aus der dumpfen Luft des subjectiven* „*Meinens in die reine Sphäre objectiven Denkens. Zugleich* „*bahnte er sich den Weg an den Kern des Problems näher* „*heranzukommen, einerseits Naturanlage und Erziehung* „*scharfer gegeneinander abzugrenzen, andrerseits das Wesen* „*der Erziehung selbst tiefer zu ergründen durch Aufdeckung* „*der Ziele, die ihr gesetzt sind, und der Mittel, die ihr zur* „*Verfügung stehen*".

De triade paedagogica apud eum primum inventa.

Quam vim eius doctrina habuerit.

Ἄσκησις apud eum etiam audit μελέτη [5]), διδαχή item τέχνη, quae non solum rhetorica constat — ut maxime apud Gorgiam, de quo mox videbimus—, sed omnes artes

28 (1911) p. 174. Cf. quoque A. Busse *Socrates* (*Die grossen Erzieher* VII) p. 54 sqq.

1) Protag. fragm. 3: Diels II³ 229, 20=537², ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Μεγάλῳ Λόγῳ. Quo in libro eum res paedagogicas tractasse monet etiam H. Gomperz (p. 175). Ipse titulus ei documento esse poterat quanti eas sophista aestimaverit.

2) Cf. quae supra p. 66 sq. hac de re scripsimus.

3) A. Busse l.l. p. 469. 470.

4) Ibid. p. 468: „*Scheinbar handelt es sich nur* (?!) *um ein Erziehungs*„*problem, in Wirklichkeit ringen hier die aristocratische und die demo*„*cratische Weltauffassung um die Entscheidung der Frage ob die Ab*„*stammung oder die Intelligenz das entscheidende Moment in der* „*Wertbestimming der Menschen sein soll.*" Haec autem quaestio, estne minus quaeso „*ein Erziehungsproblem*"?

5) Cf. Plat. *Prot.* 323 D: ἐπιμελείας καὶ ἀσκήσεως; vide infra p. 94.

docendi comprehendit. Neque τέχνην (vernacule: *theoretisch onderricht*) neque μελέτην (*practische oefening*) a magistro neglegendam esse monet sophista: μηδὲν εἶναι μήτε τέχνην ἄνευ μελέτης, μήτε μελέτην ἄνευ τέχνης [1]); brevi autem temporis spatio parum addisci posse, per annos continuos in studia incumbere debere discipulos; a pueris igitur esse incipiendum: ἀπὸ νεότητος δὲ ἀρξαμένους δεῖ μανθάνειν [2]).

Congruunt quae Platonicus perhibet Protagoras. Notatu dignissimum est haud diversa Protagoram dicere in Platonis dialogo qui eius nomine inscriptus est [3]); unde maxima additur fides toti huius sophistae descriptioni Platonicae, magisque etiam fit probabile ad ipsa Protagorae scripta eam esse adumbratam. Longum est totum illum tractare locum [3]), unde pauca tantum delibabo: (ἀρετὴν ἡγοῦνται) διδακτόν τε καὶ ἐξ ἐπιμελείας παραγίγνεσθαι 323 C; ὅσα δὲ ἐξ ἐπιμελείας καὶ ἀσκήσεως καὶ διδαχῆς οἴονται γίγνεσθαι ἀγαθὰ ἀνθρώποις 323 D; διδακτοῦ δὲ ὄντος καὶ θεραπευτοῦ τὰ μὲν ἄλλα ἄρα τοὺς υἱεῖς διδάσκονται 325 B; ταῦτα δ' ἄρα οὐ διδάσκονται οὐδ' ἐπιμελοῦνται πᾶσαν ἐπιμέλειαν 325 C; ἐκ παίδων σμικρῶν ἀρξάμενοι, μέχρι οὗπερ ζῶσι, καὶ διδάσκουσι καὶ νουθετοῦσιν ibid.; καὶ οἱ τούτων υἱεῖς πρῳαίτατα εἰς διδασκάλων τῆς ἡλικίας ἀρξάμενοι φοιτᾶν 326 C; et sic passim. Ad duo igitur educationis elementa, διδαχήν et ἐπιμέλειαν, attendit; tertium, φύσιν, paululum neglexisse videtur Protagoras Platonicus. Hanc autem in fine orationis spectat, ubi Socrati interroganti annon eo quoque confirmetur virtutem institutione non posse comparari, quod filii summorum et in republica clarissimorum virorum, quamvis diligenter educati et instituti, tamen rarissime ad paternae virtutis laudes perveniant, immo saepenumero ab ea plurimum recedant, respondet

1) Fragm. 10: Diels II³ 232, 12=540². Cf. Cic. *pro Archia poeta*, et *Tusc.* II 5 (infra p. 98 n. 3).

2) Fragm. 3: Diels II³ 229, 21=537².

3) *Prot.* 318 E—328 D; supra (p. 25) fusius egimus de loco 325 C sqq.

causam hanc esse quod propter minorem *ingenii* bonitatem ad maiorum suorum praestantiam pervenire non potuerint (327 C: εὐφυέστατος—ἀφυής). Sic p. 323 D, iuxta ἄσκησιν et διδαχήν, φύσεως quoque rationem habet.

Haec omnia quae primus Protagoras praedicasse videtur, a ceteris quoque sophistis mox arrepta sunt. Infra videbimus (id quod fugit Bussium) ne apud Gorgiam quidem prima haec τῆς παιδεύσεως elementa deesse. Fragmenta autem Anonymi Iamblichi[1]) tam arte cum Protagorae dictis cohaerere ut ex eius libro (Μέγας λόγος?) derivata esse videantur, etiam H. Gomperz observavit (p. 79 sqq.). Vide modo quae leguntur in fragmento primo [2]); quem locum lectu dignissimum integrum exhibebimus ὅ,τι ἄν τις ἐθέλῃ ἐξεργάσασθαι εἰς τέλος τὸ βέλτιστον, ἐάν τε σοφίαν ἐάν τε ἀνδρείαν ἐάν τε εὐγλωσσίαν ἐάν τε ἀρετὴν ἢ τὴν σύμπασαν ἢ μέρος τι αὐτῆς, ἐκ τῶνδε οἷόν τε εἶναι κατεργάσασθαι. φῦναι μὲν πρῶτον δεῖν, καὶ τοῦτο μὲν τῇ τύχῃ ἀποδεδόσθαι, τὰ δὲ ἐπ' αὐτῷ ἤδη τῷ ἀνθρώπῳ τάδε εἶναι, ἐπιθυμητὴν γενέσθαι τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν φιλόπονόν τε καὶ πρῳαίτατα μανθάνοντα καὶ πολὺν χρόνον αὐτοῖς συνδιατελοῦντα. εἰ δέ τι ἀπέσται τούτων καὶ ἕν, οὐχ οἷόν τέ ἐστιν οὐδὲν ἐς τέλος τὸ ἄκρον ἐξεργάσασθαι, ἔχοντος δὲ ἅπαντα ταῦτα, ἀνυπέρβλητον γίγνεται τοῦτο, ὅ,τι ἂν ἀσκῇ τις τῶν ἀνθρώπων. Protagorea hic passim perlucent. **De Anonymo Iamblichi.**

Idem valet de fragmento secundo [3]) ex quo haec affero: αὐτίκα δεῖ νέον τε ἄρξασθαι (§ 1); ἐν ἐκείνῳ δὲ τῷ τρόπῳ, ᾧ ἐγὼ προεῖπον, ἀσκηθεῖσα ἡ ἀρετή (§ 4); ἔτι δὲ καὶ ὁ χρόνος συνὼν μὲν ἑκάστῳ ἔργῳ καὶ πράγματι πολὺς καὶ διὰ μακροῦ κρατύνει τὸ ἀσκούμενον, ὁ δὲ ὀλίγος χρόνος οὐ δύναται τοῦτο ἀπεργάζεσθαι (§ 6); καὶ τέχνην μὲν ἄν τις

1) De quo conferas *Blätter f.d. Gymnasialschulw.* XLVI p. 321 sqq.
2) Diels II³ 329, 26=629².
3) Diels II³ 330, 8=630².

τὴν κατὰ λόγους πυθόμενος καὶ μαθὼν οὐ χείρων τοῦ διδάσκοντος ἂν γένοιτο ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ, ἀρετὴ δὲ ἥτις ἐξ ἔργων πολλῶν συνίσταται, ταύτην δὲ οὐχ οἷόν τε ὀψὲ ἀρξαμένῳ οὐδὲ ὀλιγοχρονίως ἐπὶ τέλος ἀγαγεῖν, ἀλλὰ συντραφῆναί τε αὐτῇ δεῖ — σὺν πολλῷ χρόνῳ καὶ ἐπιμελείᾳ (§ 7)[1].

De Prodico. Misso iam Anonymo Iamblichi[2], ad Prodicum me converto, quem in mytho celeberrimo[3] de recta virtutis via ineunda tria illa institutionis elementa agnovisse plerosque fugit[4]. Putat Döring[5] antiquiorem in eo sententiam celebrari, quae virtutem tantummodo φύσει esse praedicet[6]. Ingenuam sane φύσιν Herculis ante omnia laudat Virtus (εἰδυῖα τοὺς γεννήσαντάς σε § 27; ὦ παῖ τοκέων ἀγαθῶν § 33), sed statim addit: καὶ τὴν φύσιν τὴν σὴν ἐν τῇ παιδείᾳ καταμαθοῦσα. Omnem fabulae tenorem tum demum recte percipimus, si animadvertimus Herculem, quamquam ἀγαθὴν habeat φύσιν, non per se, nullo adiuvante, virtutis viam inire posse, sed καθῆσθαι ἀποροῦντα ποτέραν τῶν ὁδῶν τράπηται. Advenit ipsa Virtus, quae longiore oratione eum adhortatur, docet, διδάσκει. Itaque Hercules ab ipsa Ἀρετῇ accepit τὴν διδαχήν — nos homunculos ea carere posse putandumne est? Saepius autem monet sine labore[7] nil perfici posse (οὐκ ἐξαπατήσω δέ σε προοιμίοις ἡδονῆς, ἀλλ' ᾗπερ οἱ θεοὶ διέθεσαν τὰ ὄντα διηγήσομαι μετ' ἀληθείας (§ 27); τῶν μέν

1) Difficultatem haec verba praebuerunt Heinrico Gomperz (p. 82), quasi ars rhetorica virtuti opponatur; quam *ἀπορίαν* suo modo solvere conatus est. Ex his ipsis autem verbis facillime demonstrari potest solam rhetoricam non fuisse id quod extremum spectabant sophistae. Neque hic inter se opponuntur ars rhetorica et virtus, sed hoc dicit auctor, duorum *τῆς παιδεύσεως* elementorum unum, *τέχνην τὴν κατὰ λόγους*, i.e. *διδαχήν*, posse *ὀλιγοχρόνιον εἶναι*, alterum, *ἐπιμέλειαν*, per longum tempus esse colendum.

2) Infra (p. 101) tertium quoque eius fragmentum adhibendum erit.

3) Xen. *Mem.* II 1, 21—34: Diels II³ 271, 3 sqq.=567².

4) W. Nestle (*Philol.* 1908, p. 555 sq.) rem observasse videtur.

5) *Geschichte der Griech. Philosophie* I p. 332. 334.

6) „*Verherrlichung der Geburtsaristokratie*", W. Nestle l.l. p. 556.

7) Cf. supra p. 88 n. 3.

γὰρ ὄντων ἀγαθῶν καὶ καλῶν οὐδὲν ἄνευ πόνου καὶ ἐπιμελείας οἱ θεοὶ διδόασιν ἀνθρώποις· ἀσκητέον... ἐθιστέον τὸ σῶμα σὺν πόνοις καὶ ἱδρῶτι (§ 28). Sic passim. Colenda, exercenda sunt quae accepimus. Itaque Prodicus describens τὴν ὑπ' Ἀρετῆς Ἡρακλέους παίδευσιν (§ 34) tria illa elementa φύσις, ἐπιμελεία, διδαχή quomodo quasi collaborare deberent, elegantissime pinxit. **Eandem triadem observavit.**

De Hippia. De paedagogicis studiis Hippiae — cui ipse Socrates laudem boni paedagogi tribuit [1]) — certi vix quicquam afferri potest. Eum tamen, qui multifariam doctrinam undique collegerit, educationem quoque — sit licet obiter tantum — spectavisse, certum est; quin ipse vocem 'παιδεύειν' de se usurpavit [2]). Praeter φύσιν, quam haud neglexit (legimus enim [3]) eum summopere curasse ut alia apud Lacedaemonios, alia apud Athenienses, quae cuiusque populi moribus ac naturae aptissima viderentur, dissereret), inprimis iuvenum ἐπιτηδεύματα laudavit; quo vocabulo comprehendisse mihi videtur tam institutionem, διδαχήν, quam exercitationem, ἄσκησιν. Καὶ [4]) ναὶ μὰ Δί', inquit, ὦ Σώκρατες, περί γε ἐπιτηδευμάτων καλῶν καὶ ἔναγχος αὐτόθι ηὐδοκίμησα διεξιών, ἃ χρὴ τὸν νέον ἐπιτηδεύειν. Hanc suam institutionem Prodici instar in fabulae formam redegit [5]), quam Lace-

---

1) Plato *Apol.* 19 E.

2) *Hipp. Min.* 265 D.

3) *Hipp. Mai.* 285 B.

4) *Hipp. Mai.* 286 A.

5) Etiam hodie hanc fabulam ab omnibus viris doctis Τρωικὸν (διάλογον) vocari miror, cum iam Friedel (*de sophistarum studiis Homericis*, l. l. p. 154) luce clarius demonstravit Philostrato (Diels II³ 282, 17=579²) qui Platonem (*Hipp. Mai.* 286 A: Diels II³ 283, 34=581²) raptim exscriberet, hunc titulum deberi; cf. H. Gomperz p. 74 n. 158: „*die Uebereinstimmung* „*beider Stellen* (sc. Platonis et Philostrati) *ist so genau, dass es* „*zweifelhaft ist ob Philostratus noch eine andere Quelle als Plato* „*benutzt hat. Wenn nicht, so ist auch auf den Ausdruck 'Troischer* „*Dialog' nichts zu geben. Dass es sich bloss um einen Monolog* „*handelte, ist ja auch an sich wahrscheinlicher.*"

daemone se declamasse et mox Athenis declamaturum esse narrat. Initio autem sophista Neoptolemum Troia capta ex Nestore quaerentem fecerat ποῖά ἐστι καλὰ ἐπιτηδεύματα, ἃ ἄν τις ἐπιτηδεύσας νέος ὢν εὐδοκιμώτατος γένοιτο, quod deinde Nestor copiosa oratione (ὑποτιθέμενος πάμπολλα) persequebatur. Idem apud Philostratum legitur[1]): ἃ χρὴ ἐπιτηδεύοντα ἄνδρα ἀγαθὸν φαίνεσθαι. Hac igitur disputatione inter Nestorem et Neoptolemum ostendit Hippias quomodo iuvenes a senioribus edocendi essent de studiis, quibus incumbere eos deceret.

De Antiphonte. Non reticendum pulchrum fragmentum Antiphontis[2]): καὶ γὰρ τῇ γῇ οἷον ἄν τις τὸ σπέρμα ἐναρόσῃ, τοιαῦτα καὶ τὰ ἔκφορα δεῖ προσδοκᾶν καὶ ἐν νέῳ σώματι ὅταν τις τὴν παίδευσιν γενναίαν ἐναρόσῃ, ζῇ τοῦτο καὶ θάλλει διὰ παντὸς τοῦ βίου, καὶ αὐτὸ οὔτε ὄμβρος οὔτε ἀνομβρία ἀφαιρεῖται. Recurrit imago agricolae apud Protagoram: οὐκ ἐμφύεται παιδείη τῇ ψυχῇ μὴ ἱκομένου ἐς βάθος πολλόν[3]).

1) Diels II³ 282, 18=579².

2) Fragm. 60: Diels II³ 303, 17=602².

3) Sic Diels II³ 232, 14=540² (cf. *Rhein. Mus.* 27, 526); confert W. Nestle (*Philol.* 1908 p. 555) Plat. *Theaet.* 167 B C (cf. *Euthyd.* 2 D), *Resp.* VI 492 A; item Th. Gomperz (*Gr. Denk.* p. 354) *Evang. S. Matth.* 13, 5. Equidem adicio *Ep. Jacob.* 5, 7 (coll. *Ev. S. Marc.* 4, 26 sq.): *ὁ γεωργὸς ἐκδέχεται τὸν τίμιον καρπὸν τῆς γῆς, μακροθυμῶν ἐπ' αὐτῷ, ἕως λάβῃ πρόιμον καὶ ὄψιμον*, *Herod.* I 32: *ὥσπερ χώρη οὐδεμία καταρκέει πάντα ἑωυτῇ παρέχουσα... ὣς καὶ ἀνθρώπου σῶμα κτλ.*, Cic. *Tusc.* II 5: „atque, „ut in eodem simili verser, ut ager, quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest, sic sine doctrina animus: ita est utraque res sine „altera debilis. Cultura autem animi philosophia est: haec extrahit vitia „radicitus et praeparat animos ad satus accipiendos: eaque mandat his „et, ut ita dicam, serit quae adulta fructus uberrimos ferant", Plutarchi *de liberorum educat.* c. 4: *ὥσπερ δὲ ἐπὶ τῆς γεωργίας πρῶτον μὲν ἀγαθὴν ὑπάρξαι δεῖ τὴν γῆν, εἶτα δὲ φυτουργὸν ἐπιστήμονα, εἶτα τὰ σπέρματα σπουδαῖα, τὸν αὐτὸν τρόπον γῇ μὲν ἔοικεν ἡ φύσις, γεωργῷ δὲ ὁ παιδεύων, σπέρματι δὲ αἱ τῶν λόγων ὑποθῆκαι, καὶ τὰ παραγγέλματα.* Ceteroquin postea quotidiano sermone tritae sunt tralationes verborum ab agri cultura ad animi culturam. (cf. Tac. *Dial de Orat.* 6, 9 et annot Gudemani in ed.).

De Critia.

Critiae pauca dicta, at notatu dignissima, commemorari possunt; ἐκ μελέτης πλείους ἢ φύσεως ἀγαθοί, fragm. 9[1]; et item εἰ δ'αὐτὸς ἀσκήσειας, ὅπως γνώμη ἔσῃ ἱκανός, ἥκιστα ἂν οὕτως ὑπ' αὐτῶν ἂν ἀδικηθείης, fragm. 40[2]. Itaque hic quoque in pueris educandis φύσει opposuit τὴν μελέτην et τὴν ἄσκησιν.

De Dialexeon fragmento sexto.

Qui doctrinam ut ita dicam paedagogicam Protagorae, quam supra laudavimus, bene mente complexus est, in Dialexeon fragmento sexto[3] Protagoream originem facile agnoscet[4]. Quod tam egregie demonstravit H. Gomperz (p. 146. 172—177 (175!). 186 sq.) ut nihil nobis addendum reliquerit. Exempla quoque afferre supersedeo.

De Gorgia.

Restat ut de Gorgia dicamus. Quem consulto et meo iure ultimum mihi tractandum sumpsi. Nam eum quoque, quem H. Gomperz ut rhetorem κατ' ἐξοχήν ceteris praemisit sophistis[5], ego genuinum se praebuisse παιδευτήν ostendi posse confido. Verba Platonis[6] primum affero haec: τοῦτό γέ μοι (sc. Socrati) δοκεῖ καλὸν εἶναι, εἴ τις οἷός τ' εἴη παιδεύειν ἀνθρώπους, ὥσπερ Γοργίας ὁ Λεοντῖνος. Plus valent quae leguntur in *Menone* dialogo, qui sic orditur[7]: ἔχεις μοι εἰπεῖν, ὦ Σώκρατες, ἆρα διδακτὸν ἡ ἀρετή; ἢ οὐ διδακτὸν ἀλλ' ἀσκητόν; ἢ οὔτε ἀσκητὸν οὔτε μαθητόν, ἀλλὰ φύσει παραγίγνεται τοῖς ἀνθρώποις ἢ ἄλλῳ τινὶ τρόπῳ; Discipulo Gorgiae respondet Socrates: „quid „tu talia nunc consideras? τούτου δὲ ὑμῖν αἴτιός ἐστι „Γοργίας." Curabat igitur Gorgias non solum *quid* doceret, sed etiam *quo modo* doceret discipulosque ad virtutem

---

1) Diels II^3 316, 4=616^2; cf. Democriti fr. 242 (Diels II^3 109, 1=428^2): *πλέονες ἐξ ἀσκήσιος ἀγαθοὶ γίνονται ἢ ἀπὸ φύσιος.*

2) Diels II^3 325, 24=626^2.

3) Diels II^3 342 sq.=645^2.

4) Cf. A. Busse l.l. p. 475; confert hos locos: *Diels* 343, 8 cum *Prot.* 328 C; 343, 11 — *Prot.* 325 C; 343, 16 — *Prot.* 328 A (melius 327 EF).

5) Quod iure ei exprobat W. Nestle *Berl. Philol. Wochenschr.* 33 (1913) 35 p. 1091. 1098.

6) *Apol.* 19 E: Diels II^3 238, 18=547^2.

7) *Men.* 70 A; cf. 90 E.

colendam conformaret; et eandem quaestionem paedagogicam, quousque ipsa φύσις, quousque διδαχή proficeret, mente agitabat.

De titulo Olympiaco. Quod etiam clarius demonstratur versibus in basi statuae [1]), quam Olympiae ei posuit Eumolpus [2]), incisis; auctor profitetur se hanc statuam posuisse duabus de causis: δισσῶν, παιδείας καὶ φιλίας ἕνεκα (v. 4). Sic pergit:

Γοργίου ἀσκῆσαι ψυχὴν ἀρετῆς ἐς ἀγῶνας
οὐδείς πω θνητῶν καλλίον' εὗρε τέχνην [3]).

Quaeritur quid haec sibi velint. H. Gomperz de duobus prioribus versibus omnino tacet (p. 37. 121); de sequentibus sic iudicat (p. 121): „*der zweite Gesichtspunkt* „*(die formale Fertigkeit der Beredsamkeit sei eben das* „*wesenlichste Kennzeichen eines wahrhaft trefflichen* „*Mannes) steht offenbar im Vordergrunde, wenn eine* „*Inschrift gerade dem Gorgias nachrühmt seine* „*Kunst*" *sei* „*die schönste, wo es gelte die Seele sum Wettstreit der* „*Tugend zu üben.*" En mirifica petitio quae dicitur principii [4]); nam nisi liquido constat Gorgiae τέχνην illam ipsam rhetoricam fuisse, idque iam ipsius aetate innotuisse, corruit tota argumentatio. Quae autem illa ars fuerit non aliunde sumendum, neque ex occupatae mentis arbitrio hauriendum, sed ex ipso titulo eruendum. Atqui ratione habita versus qui praecedit aperte ex titulo discimus artem, qua Gorgias ceteris praestiterit, fuisse τὴν παιδείαν, scilicet τὴν τέχνην τοῦ ἀσκεῖν ψυχὴν εἰς ἀρετῆς ἀγῶνας· Quid hoc aliud est, quaeso, quam παιδεύειν τοὺς νέους, ars illa quam omnes sophistae profitebantur? Nam ἀσκεῖν vocem

---

1) De hac statua cf. M. Fränkel *Inschriften aus Olympia, Archaeol. Zt.* 35 (1878) p. 43—47; et quae supra attuli (p. 15).

2) Qui erat *ἀπόγονος τρίτος Δηικράτους συνοικήσαντος ἀδελφῇ τῇ Γοργίου* (Paus. VI 17, 7).

3) Diels II³ 238, 8=547²: Epigr. 875ª p. 534 Kaibel.

4) Item p. 37: „*unter der von Gorgias erfundenen* „*Kunst*" *kann doch wohl nur die Rhetorik verstanden werden.*"

esse paedagogicam, a sophistis saepius usitatam supra iam vidimus, et infra melius videbimus; rhetoricen non spectat; neque dubito quin hanc ipsam elocutionem ἀσκεῖν ψυχήν a Gorgia suo mutuaverit Eumolpus. Qui cum avunculo gratias egit παιδείας καὶ φιλίας ἕνεκα numquid aliud cogitavit quam παιδείαν, i.e. educationem, et φιλίαν quae ab illo ipse accepit? Accedit quod ἀρετῆς ἀγῶνες tunc omnibus ineundi erant qui innotescere cupiebant, i.e. omnibus sophistarum discipulis, ut in praecedenti paragrapho explicavimus. Quae omnia si sub uno conspectu collocaveris, fatearis necesse est ex titulo nostro, qui mehercle testis est satis locuples, apparere Gorgiam artem educandi tamquam vitae officium factitasse et excoluisse, illudque ei fuisse τὸ οὗ ἕνεκα.

De duplici rhetorices usu.

Quod etiam aliunde probari atque fulciri potest. Hic vero facere non possum, quin paululum a via discedam et aliud quid lectori in memoriam revocem, quod monuisse non poeniteat neque ab hoc loco, ubi de sophistis paedagogis verba facimus, alienum videtur.

In tertio enim fragmento Anonymi Iamblichi 1) haec leguntur: ὅταν τις ὀρεχθείς τινος τούτων κατεργασάμενος ἔχῃ αὐτὸ εἰς τέλος, ... τούτῳ εἰς ἀγαθὰ καὶ νόμιμα καταχρῆσθαι δεῖ. εἰ δὲ εἰς ἄδικά τε καὶ ἄνομα χρήσεταί τις τῷ ὑπάρχοντι ἀγαθῷ, πάντων κάκιστον εἶναι τὸ τοιοῦτον καὶ ἀπεῖναι κρεῖσσον αὐτὸ ἢ παρεῖναι. Monemur omnia tam in bonam quam in malam partem adhiberi posse. Atqui de duplici rhetorices usu verba facit Gorgias apud Platonem 2); id autem usu venire in omnibus rebus quae doceantur in *Nubibus* 3) affirmat Aristophanes. Arti rhetoricae tamen homines hoc inprimis obiecisse consentaneum est. Quod si confessus est nec negavit Gorgias, minime cum Heinrico Gomperz

---

1) Diels II³ 331, 1=631².

2) *Gorg.* 456 B; cf. Ἑλένης ἐγκώμιον (Diels II³ 249, 11; deest in prioribus editionibus) § 6. 8. 10. 14.

3) Praesertim v. 1325 sqq.; cf. etiam Prodicum (*Eryx.* 396 A. 397 E).

inde concludere velim (p. 41): „*Gerade darin aber liegt jene* „*Betonung des formalen Charakters der Rhetorik, die, wie* „*für jeden Lehrer der Beredsamkeit, so auch für die Sophisten* „*vorausgesetzt werden muss. Und gerade in dieser bewussten* „*Proklamierung eines formalen Bildungsideals, in diesem* „*Bekenntnis zu einer rhetorischen Kultur erblicke ich jenes* „*Moment, das .... die Sophisten zu einer Einheit zusammen-* „*schloss.*" Immo vero laudi est Gorgiae vertendum quod non ignoravit 'quid in hominibus esset'. „Video meliora proboque, deteriora sequor", sic exclamavit, exclamabitque semper homuncio, qui doctrinae soli confisus vitae curriculum honorifice absolvere conatur. Prudentis diligentisque magistri est hoc semper memoria tenere.

De personae praeceptorum eorumque vitae exempli vi atque momento.

Suo igitur iure in *Menone* (p. 95 C) spondere, ὑπισχνεῖσθαι, recusat discipulum suum ἀρετήν, rectum probumque rhetorices usum, adepturum esse[1]. Ἀσκεῖν ψυχὴν ἀρετῆς εἰς ἀγῶνας, hoc magistri est: vincat discipulus annon vincat, hoc θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Quis magister idem non magno saepe cum dolore expertus est[2]? Unum tantummodo subsidium habebant sophistae (et habemus nos), nempe suae ipsorum tam publicae quam privatae vitae exemplum, quo demonstrarent iustum facultatum suarum usum; quod eos non neglexisse, sed multo magis quam Socratem adhibuisse et veteres omnes testantur et huius aetatis scriptores fatentur[3]. Ipse Plato (*Hipp. Mai.* 282 B) Γοργίας, inquit, ὡς ἱκανώτατός ⟨ἐστιν⟩ Λεοντίνων τὰ κοινὰ πράττειν. In statuae epigrammate (vide supra) versu octavo Gorgiae laudatur εὐσεβεία τρόπων. Eodem spectat responsum

1) Qua maxime stabilitur coniectura mea supra p. 14 (not. 1) allata Gorgiam non negare sese quoque *ἀρετῆς διδάσκαλον εἶναι* velle, sed illud *ὑπισχνεῖσθαι* vehementer impugnasse.

2) Cf. Plut. *Them.* 2.

3) Cf. e. g. E. Meyer *Gesch. d. Alt.* IV p. 270: „*Protagoras war zweifellos ein Ehrenmann*", H. Gomperz p. 121 n. 26. Vide quoque *Men.* 91 E.

Gorgiae, quod servavit Demetrius Byzantinus [1]: ὁ Λεοντῖνος ἐρωτηθείς, τί αὐτῷ γέγονεν αἴτιον τοῦ βιῶσαι πλείω τῶν ρ̄ ἐτῶν, ἔφη 'τὸ μηδὲν πώποτε ἑτέρου ἕνεκεν πεποιηκέναι' [2]. Sed ne totam locorum huc pertinentium turbam afferam extremum moneo Protagoram quoque in cognomine dialogo (328 B) magis ipsum hominem spectasse quam eius doctrinam: ἀλλὰ κἂν εἰ ὀλίγον ἔστι τις ὅστις διαφέρει ἡμῶν προβιβάσαι εἰς ἀρετήν, ἀγαπητόν. ὧν δὴ ἐγὼ οἶμαι εἷς εἶναι: sed si quis est qui vel paululum nobis in eo praestet, ut alios ad virtutem provehat, contenti esse debemus; ex quibus me arbitror unum esse [3].

Doctores igitur umbratici esse nolebant; hac quoque ex parte Socrati contrarii erant; quod si spectas non iniustam mihi videtur huius philosophi imaginem in *Nubibus* finxisse Aristophanes [4]. Non doctrinam, sed vitam, aestimandam esse, non quae sciamus, sed qui simus, in primis spectandum, id si quis alius magister iuventutis semper memento [5]; atque vel maxime laudi me quidem iudice sophistis dandum est quod contra praestantissimum illorum temporum philosophum hoc acriter tenuerunt.

Diximus supra (p. 100) τὸ ἀσκεῖν verbum esse paedagogicum. Quod ut probemus, simulque ostendamus sophistas

---

1) Diels II³ 239, 4=547².

2) Vindicavit eundem C. Ritter *Philologus* N. F. 37 (83) p. 241 sq., qui vocem ἑτέρου, a Dielsio ceterisque addubitatam, defendit.

3) Non omittendum responsum Socratis p. 348 E: *σὺ δὲ καὶ αὐτὸς ἀγαθὸς εἶ καὶ ἄλλους οἷός τ' εἶ ποιεῖν ἀγαθούς — σοφιστὴν ἐπονομάσας σεαυτόν, ἀπέφηνας παιδεύσεως καὶ ἀρετῆς διδάσκαλον.*

4) e.g. versibus 103. 186. 199. 413. 504. 1113; conferas quaeso quae habeo infra (p. 110. 115 sq.)

5) Dignissima sunt quae et nostris temporibus relegantur verba viri docti Ruhnkenii in oratione *De doctore umbratico*, quam Lugduni-Batavorum habuit anno 1761 (de qua cf. W. Reichardt *David Ruhnken's doctor umbraticus, Neue Jahrb. f. d. klass. Altert.* 26 (1910) p. 191—211).

revera novam quandam doctrinam paedagogicam initiasse, in Appendice [1]) quam poterimus brevissime exponemus quam late mox haec studia pervulgata sint.

De synthesi inter *φύσιν* **et** *νόμον* **in re paedagogica a sophistis constituta.**

Sophistae igitur controversiam illam inter φύσιν et διδαχήν, quae [2]) illis temporibus animos valde perturbabat — quam eandem esse atque controversiam inter φύσιν et νόμον in res paedagogicas translatam quilibet statim intelleget — solverunt, cum foedus inter eas ferirent, et μελέτην quasi 'tertium in pacto' adderent. Quod si bene comprehendisset H. Gomperz, numquam ἀπορίαν eam movisset quam protulit p. 173 n. 356 [3]). Sola enim ars docendi (διδασκαλία) nihil valet: φύσεως καὶ ἀσκήσεως δεῖται. Idque tam in ipso magistro quam in discipulis opus est. Totam denique educationem (nec meram rhetoricen) sophistis maximae curae fuisse et ex sequenti huius libelli capite apparebit, et inter alia Alcidamantis docent verba, quibus posterioris aetatis sophistas (τοὺς καλουμένους σοφιστάς) increpuit [4]), qui τῆς παιδείας ἠμελήκασι, et scribendi furore arrepti coacervabant libros, quod veri sophistae, veri paedagogi non est [5]).

---

1) Infra p. 132 sqq.

2) Locos Euripideos qui huc faciunt collegit A. Busse l.l. p. 468 sq., Sophocleos W. Nestle *Sophocles und die Sophistik, Class Phil.* V 2, p. 145 sq.

3) „*Eine Unklarheit, die sich nicht ableugnen, wohl aber aus der* „*eigentümlichen Zwangslage des Sophisten verstehen lässt.*" Et paulo infra: „*da diese Zwiespaltigkeit — nur durch eine Hypothese zu besei-* „*tigen war, von der sich in jener ganzen Zeit keinerlei Spur findet, —* „*ich meine die Unterscheidung einer specifischen Lehrbegabung von* „*blosser sachlicher Befähigung — so ist es durchaus glaublich dass sie* „*schon auf den Abderiten selbst zurückgeht.*"

4) In oratione *περὶ σοφιστῶν* (Blass *Orationes Antiphontis* p. 193) §1; de qua fusius infra p. 121.

5) Cf. Xen. *Cyneget.* c. XIII: *ψέγουσι δὲ καὶ ἄλλοι πολλοὶ τοὺς νῦν σοφιστὰς καὶ οὐ* [*τοὺς*?] *φιλοσόφους, ὅτι ἐν τοῖς ὀνόμασι σοφίζονται, οὐκ ἐν τοῖς νοήμασιν.*

Semina autem quae primi sparserunt sophistae partim παρὰ τὴν ὁδόν, partim ἐπὶ τὰ πετρώδη, partim ἐπὶ τὰς ἀκάνθας ceciderunt, pars tamen ἔπεσεν ἐπὶ τὴν γῆν τὴν καλήν, et fructus tulit semperque feret. Et si quis quaerat an nostra quoque aetate ii, qui in hac vita non nummos ante omnia, non honores, non gaudia quaerunt, sed cultu ingenii ad veram virtutem et humanitatem et ipsi nituntur et iuventutem adducere student, bonae frugis aliquid ex sophistarum studiis carpere possint, ei Pauli Cauer verbis [1]) respondere lubet: „*Auf allen Gebieten war den Griechen die Aufgabe „zugefallen, sich an den grossen Problemen der Erkenntnis, „Erforschung, Darstellung als die ersten zu versuchen: so „lebt in ihren Werken ein Hauch von Ursprünglichkeit, der „uns Nachgeborne erfrischt. Gar zu leicht wird uns das „Wesentliche einer Frage zugedeckt durch die Fülle von „Antworten, die im Laufe der Zeit schon gegeben worden „sind; die Griechen führen uns auf den Kern zurück, auf „den eigentlichen Sinn des Problems, an das sie einst „naiv und unmittelbar herangetreten sind.*" [2])

---

1) *Palaestra Vitae*³ p. 150.

2) Studia sophistarum theologica, philologica, civilia, paedagogica postquam adumbravimus, vix est quod moneam non in his tantum rerum generibus eos se continuisse. Sed de reliquis disciplinis (cf. e.g. Philostr. *Vit. Soph.* I 11, 1 sq.: Diels II³ 282, 11=579², infra p. 109 laudatum) nihil fere certi traditum est, tituli librorum tantummodo laudantur.

CAPUT III

Quomodo sophistae docuerint.

Οἶδα μὲν ἔγωγε σχεδὸν ὅτι διδάσκειν μὲν ἀνθρώπους ἅπαντας χαλεπόν ἐστιν ἐξαπατᾶν δὲ ῥᾴδιον.
D i o n. C h r y s. *Or.* XI.

Οἶδα δὲ ὅτι κράτιστον μέν ἐστι παρὰ τῆς ἑαυτοῦ φύσεως τὸν ἀγαθὸν διδάσκεσθαι, δεύτερον δὲ παρὰ τῶν ἀληθῶς ἀγαθόν τι ἐπισταμένων μᾶλλον ἢ ὑπὸ τῶν ἐξαπατᾶν τέχνην ἐχόντων.
X e n o p h o n *Cyneg.* XIII.

Praemonenda. In superioribus postquam demonstrare conati sumus sophistas in primis praeceptores, sive magistros artium, et esse voluisse et fuisse, restat ut hoc capite breviter exponamus quo modo hanc docendi artem exercuerint et quid ex fontibus colligi possit ad sophistarum methodum docendi recte aestimandam. Qui enim d o c e t, is non tantummodo loquitur, sed ad certas regulas disciplinam dirigit; certo loco, certo modo res tractare conatur; statim ab initio finem aliquem spectat, ad quem discipulum ducere cupit. Hoc enim primum officium veri praeceptoris mihi esse videtur, ut non casu atque fortuito, prout mentio alicuius rei inciderit, de ea verba faciat, sed ut iis, qui se duce et auctore in unaquaque disciplina assiduam ponant operam (dies enim diem docet!), materiam certam quandam et definitam ediscendam tradat.

Apud populos barbaros puerorum educandorum nulla est publica cura. Crescente cultu atque humanitate ludi

Quomodo sensim creverit ludorum provincia.

aperiuntur, quos pueri coguntur frequentare, elementa velint ut discere prima. Terminum autem aetatis quousque in ludum irent sensim prolatatum videmus aucta copia rerum quae cognoscendae erant. Ludum puerorum literarium secuta est schola in usum iuniorum, quae rursus discipulos suos iuvenes tradebat universitatibus literarum. Denique infantes quoque suum nacti sunt διδασκαλεῖον.

Haec omnia paulatim nata sunt. Nova enim quae afferuntur initio semper oppugnantur: quod nostris quoque temporibus experti sunt ii qui viam, quam monstraverunt Pestalozzi, Froebel et nuperrime Montessori, ingressi ludis illis infantilibus prodesse voluerunt. Simile quid sophistis accidisse puto. Supra (p. 26) iam monuimus usque ad eorum tempora vix post decimum quintum aetatis annum pueros ludos frequentasse [1]. Grammatistarum tantummodo exstiterunt scholae, grammaticorum rarae. Postea vero, Alexandrinorum demum temporibus, pueri primum ad grammatistam, inde ad grammaticum, denique ad rhetorem mittebantur, triaque illa genera scholarum distinguebantur. Sane ex quo tempore ordo ille observatus sit non constat: constat eum iam in usu fuisse illa aetate ex qua plurimae papyri et tituli eam rem illustrantes exstant [2], i. e. a tertio inde saeculo a. Chr. n. Eandem scholarum divisionem primo a. Chr. n. saeculo Romae observatam fuisse memoriae proditum est [3]; ibi quoque qui primi rhetoricam in scholis docere volebant, in magnam offensionem ceciderunt, quod testatur edictum illud notissimum Cn. Domitii Aenobarbi et L. Licinii Crassi censorum anni 662 a. u. c. [4].

---

1) Non loquor de exercitationibus gymnasticis.

2) Cf. P. Beudel *Qua ratione Graeci liberos docuerint papyris, ostracis, tabulis in Aegypto inventis illustratur* (Diss. 1911) p. 29; E. Ziebarth *Aus dem Griechischen Schulwesen*² 1914 (e.g. p. 80. 81 de gymnasio Pergameno). Egregie de puerorum educatione scripsit K. Kuiper *Atheensch Jongensleven.*

3) G.A. Hulsebos *de educatione et institutione apud Romanos* (diss. 1875).

4) Apud Suet. *de clar. rhet.* 1.

Quid sophistis hac in re debeatur.

Sophistis autem deberi quod tempus, per quod discipuli in scholis literariis instituebantur, auctum est pro certo statuere licet. Satis non habebant adulescentulos aut per poetas aut per philosophos erudiri; qui prosunt sane iuventuti, sed tantummodo delectando aut monendo. Neque cum Socrate Platonico faciebant, qui putabat pueros, postquam prima elementa, literas, syllabas, verba, et versus, sententias, dicta quaedam a magistris acceperint, reliqua sibi ipsos invenire et acquirere posse per ἀνάμνησιν. Sed sicut grammatista τὰ γράμματα, sic σοφίαν atque ἀρετήν d o c e t sophista[1]). Itaque scholis inferioribus addiderunt scholam in usum adulescentium[2]). Quod paulo accuratius exponendum.

De tripertita sophistarum arte docendi.

Recte iam monuit v. d. W. Nestle tribus modis sophistas artem docendi exercuisse. Primum enim literis studia sua mandabant; quorum scriptorum magnus quidem numerus titulorum nobis servatus est, ipsa magna ex parte perierunt. Hac in re exemplum poetarum secuti sunt, qui non nisi scriptis mentis sensa exprimebant, viva voce non utebantur. Deinde de quavis re disputabant, ut eius temporis philosophi facere solebant. Ἐπιδείξεις illae vel ἔμμισθοι ἀκροάσεις habebantur partim in amicorum domibus (Calliae: *Prot.* 311 A, 314 D; Euripidis vel Megaclidis: *Diog. Laert.* IX 54), partim in aedificiis publicis (gymnasiis: Ps.-Plat. *Eryx.* 397 D; ἐν τῷ Φειδοστράτου διδασκαλείῳ: *Hipp. Mai.* 286 B). Quivis libere eas audire poterat. Tertio autem loco continua et cohaerente serie lectionum iuventuti praecepta tradebant et studiosos doctrina imbuebant. Quod novum erat. Hoc praesertim spectabant cum sese ἀρετῆς διδασκάλους esse profitebantur. De hac tertia praecipiendi ratione, quae potissimum ad rem nostram pertinet, voces διάλεξις et

---

1) Cf. *Dial.* 6 § 10 (Diels II[3] 343, 10=646[2]): *τέταρτον δὲ αἰ μή τοι παρὰ σοφιστῶν σοφοὶ γίνονται· καὶ γὰρ γράμματα πολλοὶ οὐκ ἔμαθον μαθόντες.* Item P l a t o *Prot.* 312 A, vide p. 109.

2) Optime id quod volo illustrat locus celeberrimus *Theagis* Dialogi (121 C sqq.).

διαλέγεσθαι et συγγίγνεσθαι usurpantur; e. g. de Hippia: ἐσήγετο δὲ ἐς τὰς διαλέξεις γεωμετρίαν, ἀστρονομίαν, μουσικήν, ῥυθμούς· διελέγετο δὲ καὶ περὶ ζωγραφίας καὶ περὶ ἀγαλματοποιίας [1]). De Proxeno dicit Xenophon[2]): ἐπεθύμει γενέσθαι ἀνὴρ τὰ μεγάλα πράττειν ἱκανός· καὶ διὰ ταύτην τὴν ἐπιθυμίαν ἔδωκε Γοργίᾳ ἀργύριον τῷ Λεοντίνῳ. ἐπεὶ δὲ συνεγένετο ἐκείνῳ κτλ.

De una autem alterave auditione hoc dici vix potest [3]). De usu et consuetudine sophistarum praemonens Hippocratem Socrates [4]) ἀλλ' ἄρα, inquit, ὦ Ἱππόκρατες, μὴ οὐ τοιαύτην ὑπολαμβάνεις σου τὴν παρὰ Πρωταγόρου μάθησιν ἔσεσθαι, ἀλλ' οἵαπερ ἡ παρὰ τοῦ γραμματιστοῦ ἐγένετο καὶ κιθαριστοῦ καὶ παιδοτρίβου; Totus locus qui sequitur tum demum recte intellegi potest, si nobis praesto est discipulos non tantum audisse sophistas, sed per longum tempus cotidiana eorum familiaritate usos esse[5]). Bene ut sibi conscius sit Hippocrates rogat Socrates ὅτι μέλλεις τὴν ψυχὴν τὴν σαυτοῦ παρασχεῖν θεραπεῦσαι ἀνδρί, ὡς φῄς, σοφιστῇ (312 B; cf. 313 B). Recurrit vox συνεῖναι (συνεστέον 313 B; συγγένοιτο 316 C; cf. 336 B. 337 B), qua et ipse utitur Protagoras [6]): ἄνδρα πείθοντα τῶν νέων τοὺς βελτίστους ἀπολιπόντας τὰς τῶν ἄλλων συνουσίας, — ἑαυτῷ συνεῖναι ὡς βελτίους ἐσομένους διὰ τὴν ἑαυτοῦ συνουσίαν, χρὴ εὐλαβεῖσθαι τὸν ταῦτα πράττοντα. Et ita saepius.

De ludo sophistarum.

Talis igitur conventus iuvenum ad adulescentium magistrum cotidie se congregantium novum quid idque satis notabile in

1) Philostr. *Vit. Soph* I 11 sq.: Diels II³ 282, 11=579².

2) *Anab.* II 6, 16.

3) Etiam de Socratis discipulis, qui quidem per longius temporis spatium assectatores eius erant, his vocibus utitur Plato.

4) Plat. *Prot.* 312 A; cf. *Dial.* 6 § 10 (vide p. 108 n. 1).

5) *Prot.* 315 A distinguitur inter *μαθητάς* et eos qui audiunt: *οἱ ἐπακούοντες τῶν λεγομένων.*

6) Ibid. 316 C. Ipsius sophistae verba esse videntur: prorsus eadem enim recurrunt *Theag.* 128 A: *πείθουσι τῶν νέων τοὺς γενναιοτάτους — πάολείποντας τὰς ἐκείνων συνουσίας αὐτοῖς συνεῖναι.*

disciplinam paedagogicam introduxisse mihi videtur [1]. Alieni aditu prohibebantur. Participum nomina in tabulas referebantur ut docet locus Platonis *Crat.* 428 B) ubi Socrates: καὶ ἐμὲ γράφου. Idem intrans domum Calliae statim discipulos,quos nominatim affert, ab iis qui tantummodo audiebant discernit. Deinde vel maxime huc pertinent nonnulla

Testimonia ex Nubibus fabula petita.

quae in Aristophanis *Nubibus* [2]) risum movent. Quae ibi comicus fabulatur de meditaculo illo, φροντιστηρίῳ (v. 94), ubi una habitant (ἐνταῦθ' ἐνοικοῦσ', v. 95) magister eiusque discipuli, captivis (τοῖς ἐκ Πύλου ληφθεῖσι, v. 186) similes, doctores umbratici (ὠχριῶντες, ἀνυπόδητοι, v. 103; cf. 858), qui domi manent (ἀλλ' οὐχ οἷόν τ' αὐτοῖσι πρὸς τὸν ἀέρα ἔξω διατρίβειν, v. 198), neque umquam appetunt, id quod praescripserat Solon (Luc. *Anach.* 24), τὰ σώματα ἐθίζειν πρὸς τὸν ἀέρα, συνοικειοῦντες αὐτὰ ταῖς ὥραις ἑκάσταις, qui ἡμιθνῆτες (v. 504) sunt et ὠχροί (v. 1113), — haec omnia tum demum sales habent si ludendo aliquid veri indicant.

Irrideri apparet sophistarum rationem docendi, quae tunc cuivis nota erat. In domum quandam conveniebant magister eiusque discipuli et ibi maximam diei partem una versabantur. Fortasse conicere licet nonnullos ibi una habitasse: scimus enim plurimos ex aliis urbibus Athenas sophistam aliquem sequi solitos esse, nequid ex illius institutione desiderarent. Ignoti arcebantur; neque quisquam admittebatur discipulus nisi examine probatus: ἀλλ' ἐγχείρει τὸν πρεσβύτην ὅ τι περ μέλλεις (ut soles) προδιδάσκειν καὶ διακίνει τὸν νοῦν αὐτοῦ, καὶ τῆς γνώμης ἀποπειρῶ (v. 476), quod fit antequam scholam intrat (v. 509). Sollemniter numero discipulorum tirones adscribebantur (v. 258: ἀλλὰ ταῦτα πάντα τοὺς τελουμένους ἡμεῖς ποιοῦμεν). Intus secundum

---

1) Quousque hanc viam Pythagorei iam ingressi sint difficile diiudicatu est.

2) Cf. supra p. 15 sq., 103 et infra p. 115 sqq.

3) *νομίζεται*: i.e. *νόμος ἐστί*, mos fert; cf. infra p. 117.

certas leges regulasque[1]) versari solebant: tunicati[2]) et discalceati erant: — quod ut illuderet poeta suspicatur a magistro in suos usus vestem calceosque converti (v. 719. 858).

De mercede quam accipiebant sophistae.

Quae cum ita sint iam non miramur sophistas mercedem poposcisse; immo quo proscindebantur convicio quod nisi magno argenti pretio adulescentes erudire nollent, id levissimum est. At quo magis sentimus dictum aliquod factumve, quod nobis displiceat odiumque nostrum in se contrahat, revera laude dignum esse idque odium maiore ex parte sine causa et ratione esse conceptum, nonne saepe eo magis vituperatione id obruimus? Iure monet Spengel (l.l.p. 40) exprobrationem illam docere sophistas arti suae satis confisos esse neque eam despexisse idque vitium, si modo vitium dicendum sit, non sophistarum proprium fuisse, sed exemplum iam ab optimis poetis lyricis Simonide, Pindaro, aliis esse petitum. Itaque omissis quae de hac re in utramque partem et antiquiores et recentiores scriptores disputaverunt[2]), hoc unum adicio, in literarum studiis ea quae gratuito dentur et accipiantur multo minus valere, quam quae pretio certo a discipulis exacto assiduis lectionibus tractentur. Hoc volo: vinculum quoddam esse debet, ut sciat praeceptor per certum tempus quaedam sibi praestanda esse seque ea lege obstrictum sentiat, sciatque discipulus non omni ex parte illud discere esse 'ludere'. Quamvis artem multo melius docebunt mercede accepta huius artis periti, quam amicus aliquis, qui gratia et amore adductus hoc munus suscepit. Docere non est amici beneficium[3]), sed magnum quoddam officii munus, in quo quasi vitae tabernacula collocant magistri, ut alterna dentque ferantque manu. Magnae igitur equidem sophistis laudi verto quod hoc recte perspexerunt et,

---

1) Cf. v. 498 *γυμνοί*, i.e. *μονοχίτωνες* (v. 497: *κατάθου θοἰμάτιον*).

2) Unum nominatim tantum afferam Z e l l e r u m *Gesch. der Phil.* I[4] (1876) p. 971 sqq.

3) Sicut est philosophari, secundum Xen. *Cyn.* 13, 8 *οἱ δὲ φιλόσοφοι πᾶσι κοινοὶ καὶ φίλοι.*

utcumque id indignabantur aequales, mercedem a discipulis suis postulabant.

Interpretatio loci Diogenis Laertii. Transeunti ad rationem qua institutio in scholis ordinabatur, coniecturam mihi liceat expromere, quae etsi certa non est, probilitatis tamen numeros explere mihi videtur [1]. Locus est apud Diogenem Laertium [2]: καὶ πρῶτος μέρη χρόνου διώρισε (sc. Protagoras), ubi *verbi tempora* intellegi arbitrantur viri docti multi [3]; quod mihi non probatur, cum neque ipsa verba neque contextus hanc interpretationem admittant. Addubitabat iam Friedelius [4]; qui verba sequentia (καὶ καιροῦ δύναμιν ἐξέθετο) ad rhetoricam pertinere putans simile aliquid in vocibus μέρη χρόνου inesse suspicabatur. Neque tamen huic assentior. Sic enim etiam verba praecedentia (οὗτος πρῶτος μισθὸν εἰσεπράξατο μνᾶς ἑκατόν) de arte rhetorica intellegas necesse est. Deinde ne ipse quidem Friedelius explicare potuit quid in arte rhetorica indicarent verba χρόνου μέρη διώρισε, quod mihi quoque prorsus obscurum. Neque probari potest vocem 'καιρός' tantummodo rhetoricam spectare; duos tantum locos testes affert Friedelius, quibus nihil probatur. Equidem hanc vocem, disquisitione quam potui accuratissima de eius vi ac ratione habita, artem rhetoricam eo tempore redolere nego. Postea quidem in scholis rhetoricis intemperanter eo vocabulo utebantur [5], ita ut 'vox technica'

---

1) Vide p. 50 not. 3.

2) IX 52: Diels II^3 219, 26=526^2.

3) E.g. W. Nestle *Die Vorsokratiker* p. 76 („*die Unterscheidung der Tempora und Modi*;" item *Praef.* ed. *Prot.* p. 18); O. Willmann *Aristoteles als Paedagog und Didaktiker* (*Die Grossen Erzieher* II) p. 17; Th. Gomperz *Gr. Denker* I^2 p. 355; E. Zeller *Die Philosophie der Griechen* I^4 p. 1019. H. Gomperz (p. 198) autem tantummodo commemorat modorum distinctionem. Quid sentiat de nostro loco reperire non potui.

4) *De Sophistarum studiis Homericis* l. l. p. 143 n. 41.

5) Cf. Dion. *de comp. verb.* 12 p. 84 *καιροῦ δὲ οὔτε ῥήτωρ οὐδεὶς οὔτε φιλόσοφος εἰς τόδε χρόνου τέχνην ὥρισεν.*

facta sit: sophistarum autem aetate proprie significabat 'momentum temporis ad rem agendam aptissimum'. Saepius occurrit apud septem illos sapientes [1]. Καιρὸν γνῶθι Pittaci est; ἕξεις ἔργῳ μνήμην, καιρῷ εὐλάβειαν Biantis, item illud λάλει καίρια. Chiloni attribuitur μηδὲν ἄγαν· καιρῷ πάντα πρόσεστι καλά, Soloni σφραγίζου τοὺς μὲν λόγους σιγῇ, τὴν δὲ σιγὴν καιρῷ. Cum in brevibus eorum dictis unaquaeque vox proprio sensu adhibita sit, quid sit καιρός bene illustrant. Nec aliter ea voce utuntur ipsi sophistae. Legimus *Dial.* 2,20 [2]: πάντα καιρῷ μὲν καλά ἐντι, ἐν ἀκαιρίᾳ δ'αἰσχρά. Agitur de honesto turpique: eadem per se tam honesta quam turpia esse, iusto enim tempore omnia esse facienda [3]. Nil ad rhetoricam [4]. Idem de aliis locis ubi ea

1) Diels II^3 213 sqq. = 518^2 sqq.

2) Diels II^3 338, 9 = 640^2.

3) Ex locis Platonicis unum exempli gratia appono: *Crit.* 44 A, ubi Socrates, καὶ κινδυνεύεις, inquit, ἐν καιρῷ τινι οὐκ ἐγεῖραί με.

4) Quae de hoc Dialexeon loco disputavit H. Gomperz (p. 165—167) magnopere mihi displicent. Probare conatur doctrinam quandam περὶ καιροῦ, quae prorsus eadem et hic et in dialogo pseudoplatonico *De Iusto* (374 C D) occurrat, ex eodem fonte, Protagoreo scilicet, haustam esse. Nugae hae sunt, libere enim dicam quod sentio. Doctrina καιροῦ (*die Lehre vom* καιρός p. 167) non exstat. Ipsa vox semel tantum, nostro scilicet loco, reperitur, ubi ex versiculo praecedenti nata videtur (ἀλλὰ ταῦτ' ἐποίησεν λαβὼν ὁ καιρὸς αἰσχρὰ καὶ διαλλάξας καλά.). Perhibet sophista isdem de rebus factisque alias aliter iudicandum esse, prouti fiant aut ab aliis personis (§ 2—8), aut alio in loco (§ 9—17), aut alio tempore (§ 19). Iam nimis subtiliter coniunxit H. Gomperz verba capitis V cum hisce (*... jene Ansicht, ... die dann in Abschnitt 5 näher ausgeführt wird*, p. 165) ut vocibus 'ἐν τῷ δέοντι', 'ἃ οὐ δεῖ' ad suam probandam thesin uteretur. At prorsus diversa ibi exponit sophista; ipsam enim vocabulorum significationem et vim tractat (§ 2 ὀνομάζοντι ταὐτά: iisdem vocabulis utuntur homines), quam aliam esse si ab aliis personis (§ 6. 7), alio etiam fortasse tempore (§ 9, 10), alio denique accentu (ἁρμονίας διαλλαγείσας, § 11. 12) usurpetur. Postremum monet verbis satis obscuris vim vocis etiam relativam esse (§ 15). Concedendum est Heinrico Gomperz locum dialogi de *Iusto* sophisticam prodere originem (p. 166); cetera viro doctissimo indigna

vox legitur statui potest. Itaque verba καιροῦ δύναμιν ἐξέθετο sic verto: exposuit quam necessarium esset iustum tempus diligenter observare.

Quid iam de verbis μέρη χρόνου διώρισε? Versatur totus locus in ratione qua sophistae institutio ordinabatur. Vide modo contextum: οὗτος πρῶτος μισθὸν εἰσεπράξατο μνᾶς ἑκατόν· καὶ πρῶτος μέρη χρόνου διώρισε καὶ καιροῦ δύναμιν ἐξέθετο καὶ λόγων ἀγῶνας ἐποιήσατο καὶ σοφίσματα τοῖς πραγματολογοῦσι προσήγαγε· καὶ τὴν διάνοιαν ἀφεὶς πρὸς τοὔνομα διελέχθη καὶ τὸ νῦν ἐπιπόλαιον γένος τῶν ἐριστικῶν ἐγέννησεν: mercedem accepit, partes temporis distinxit, monuit omnia suo tempore facienda esse. Ipse igitur idem faciebat; i.e. non disputabat, philosophorum more, sicut fors ferebat, de una re longiore tempore et per complures horas, sed sicut bonum decet praeceptorem certo ordine, per certum temporis spatium, certa studia tractabat. 'Seriem lectionum' itaque Protagoras primus fecisse mihi videtur. Hoc etiam spectant verba sequentia καιροῦ δύναμιν ἐξέθετο.

Serie lectionum usus est Protagoras.

In *Nubibus* quoque videmus discipulos diversis deinceps studiis operam dare, quod a philosophis omnino alienum erat. Rogat Socrates magister: τί βούλει μανθάνειν; (v. 636) et πότερα περὶ μέτρων ἢ ῥυθμῶν ἢ περὶ ἐπῶν; (v. 638). De metris mox agitur v. 641 sqq.; transit magister ad rhythmos v. 647 sqq.; sequitur lectio de dictione generibusque v. 658 sqq. Certus ordo anxie servatur. Strepsiadi τὸν ἀδι-

sunt. Sed quaecumque documenta perscrutatur, eodem studio abripitur quo permulti viri docti Germani adducti ad id ipsum perveniunt, quod rursus maxime vituperant, pravam illam artem dico interpretandi quam voce „*hineininterpretieren*" designant. (Cf. p. 167: *Im übrigen ist natürlich die Ver-„wendung dieses Protagoreischen Gedankens bei beiden Autoren wesent-„lich und charakteristisch verschieden. Der Verfasser der δισσοὶ λόγοι „führt ihn in den Reden an, um ihn dann in den „Gegenreden" zu „widerlegen: eine andere Bedeutung als die eines „zur rechten Zeit" zu „verwendenden, „zur rechten Zeit" aber auch wieder abzulehnenden „Paradoxons hat er für ihn nicht."*

κώτερον λόγον statim sibi expetenti respondet Socrates: ἀλλ' ἕτερα δεῖ σε πρότερα τούτου μανθάνειν (v. 658). Quibus tractatis senem vi cogit in grabato accumbere et sibi ipsum aliquid excogitare (ἐκφρόντισόν τι τῶν σεαυτοῦ πραγμάτων, v. 695). Discipulos autem ad alia progredientes summo studio retinere oportet quae iam didicerunt. Antequam docere incipit rogat Socrates: ἦ μνημονικὸς εἶ; (v. 483). Et cum haec res maxime senem deficiat, e meditaculo propellitur (ἀλλ' εὐθὺς ἐπιλήθει σύ γ', ἅττ' ἂν καὶ μάθῃς. ἐπεὶ τί νυνὶ πρῶτον ἐδιδάχθης; λέγε, v. 785 sq. (cf. v. 629. 631); οὐκ εἰς κόρακας ἀποφθερεῖ, ἐπιλησμότατον καὶ σκαιότατον γερόντιον; v. 789 sq.).

Ars docendi sophistarum in Nubibus illuditur.

Iam apparet in *Nubibus* non tam ipsam sophistarum gentem irrisam atque a poeta comico perstrictam esse quam rationem eorum docendi. Quod postquam animadvertimus minus offendimur eo quod Aristophanes in Socratem omnia contulerit quae illi multiplicis doctrinae venditores haberent ridicula. Non enim in primis spectabat personas sophistarum, neque doctrinas eorum; sed novum illud et inusitatum institutum ludificatur comicus, quo iuvenes in schola docebantur veluti pueri infantes. Mox senes quoque in ludum ventitaturos esse cavillatur. Itaque neque Protagoram Gorgiamve neque alium quendam e turba sophistarum Athenas identidem visentium, qui vulgo non satis noti erant, sed eum civem, qui cotidiano usu omnibus Atheniensibus erat notissimus, unice aptum ducebat Aristophanes cui hasce novi magistri varia doctrina iuvenes imbuentis partes tribueret. Et suo iure in fine fabulae produxit rusticum aliquem meditaculum illud comburentem. Hoc enim ei aliisque tempora se pueris acta unice laudantibus et admirantibus erat in votis [1]).

Haec qui perpenderit etiam versibus 143 sqq. genus

1) Conferenda sunt quae supra (p. 15) scripsimus de voce διδάσκειν saepius hac in fabula iterata; illud διδάσκειν revera vituperatur. Pauca de *Nubibus* quoque dixi supra p. 110.

quoddam docendi sophistarum satis notum illudi, merito suspicabitur. Ibi enim Chaerephon discipulus ingeniose solvit quaestionem sibi a magistro propositam de spatio pulicis saltus ipsius pedibus emetiendo. Quod autem viri docti putarunt ea narratiuncula facete iocatum poetam in dictum illud Protagorae πάντων χρήματων μέτρον ἄνθρωπον εἶναι (Plat. *Theaet.* 152 A), id equidem addubitare ausim [1]. Verba enim illa obscuriora vix apta erant quae hominibus a philosophia alienis deridenda praeberentur, atque vix iam iis temporibus Athenis tam generaliter nota fuisse mihi videntur, ut Aristophanis iocus maiori parti spectatorum cachinnos movere posset. Neque dictum aliquod hoc loco perstringi videtur, verum methodus quaedam; methodus nempe sophistarum qua naturales quaestiones solvere conabantur. Pulices enim semper ubique saliunt salientque; quis autem umquam pedes pulicis in ceram immersit ut calceolos ei indueret, deinde rursus exueret? Huiusmodi aliquid ne fieri quidem potest, neque ullam habet utilitatem. Per tales autem ineptias docere videbantur in schola sophistae. Idem valet de exemplo historiae naturalis, quod v. 157 sqq. notatur, ubi haec tangitur quaestio: τὰς ἐμπίδας κατὰ τὸ στόμ' ᾄδειν ἢ κατὰ τοὐρροπύγιον. Exclamatque Strepsiades, qui talia perscrutatus sit, eum demum ad omnes vitae necessitates valere (ῥᾳδίως φεύγων ἂν ἀποφύγοι δίκην).

In grammatistarum scholis satis severe instituebantur pueri. Illud 'ludendo discere' illorum non erat: immo vero οὐ παίζουσι μανθάνοντες (sc. οἱ νέοι)· μετὰ λύπης γὰρ ἡ μάθησις [2]. Itemque monet Protagoras: παρατιθέασιν (οἱ διδάσκαλοι) αὐτοῖς ἐπὶ τῶν βάθρων ἀναγιγνώσκειν ποιητῶν ἀγαθῶν ποιήματα καὶ ἐκμανθάνειν ἀναγκάζουσιν, κτλ. [3]. Aliam itaque docendi et discendi rationem ignorabant

1) Vide editiones e.g. Leeuwenii, Kockii.
2) Arist. *Pol.* VIII 1339, a 28.
3) Plat. *Prot.* 325 E.

Athenienses. Coactos autem discere adulescentes atque iuvenes ingenuos haud decere visum est comico, ideoque vehementer ab eo perstringitur.

Loci quibus id illustratur passim reperiuntur. Increpat Strepsiadem discipulus ut hominem rudem, ἀμαθῆ (v. 135), quod οὑτωσὶ σφόδρα ἀπεριμερίμνως ianuam pulsavit. Condiscipulos mox monet (v. 195) ἀλλ' εἴσιθ', ἵνα μὴ ἐκεῖνος ὑμῖν ἐπιτύχῃ, ne vobis ille (!) superveniat hic morantibus. Nam minus recte v. cl. Leeuwenius mihi hunc versum sequentesque (198 sq.) ἀλλ' οὐχ οἷόν τ' αὐτοῖσι πρὸς τὸν ἀέρα ἔξω διατρίβειν πολὺν ἄγαν ἐστὶν χρόνον explicasse videtur de gente lucifuga ac noctivaga, quae quantocius ad umbracula sua redire iubeatur, priusquam sol radiis suis eos possit contingere (cf. ad v. 198). Lucem solis non effugiunt, immo caelestia spectant tam discipuli (v. 193 sq.) quam magister (v. 225), neque caelum iis novum erat sicut Porcio illi Latroni, quem in annotatione contulit Leeuwenius. — Ad certas scholae leges magis pertinent versus alii. V. 498 γυμνοὺς εἰσιέναι νομίζεται, i. e. νόμος ἐστί, lex fert; seni non statim obtemperanti κατάθου· τί ληρεῖς superbe imperat magister. Iam ante ei minatus erat: δέδοικά σ' ὦ πρεσβῦτα, μὴ πληγῶν δέῃ (v. 493). V. 633 discipulus grandaevus, qui aliquantisper in meditaculo artibus liberalibus studuerat, iam in medium prodire iubetur, ut ostendat quid profecerit: incipit Socrates πρόσεχε τὸν νοῦν (hoc age: *opgelet!*) Conferendi quoque sunt versus 695 et 725 sqq., ubi Socrates senem vi cogit caput obvolvere et mentis cogitatione defixum sedere.

Locos denique nonnullos laudo, qui de summa discipulorum erga magistros reverentia agant; e. g. v. 871 οὐκ εἰς κόρακας; καταρᾷ σὺ τῷ διδασκάλῳ; ad quae patris verba postea alludit filius Phidippides, nimis docilem se praestans, v. 1467: ἀλλ' οὐκ ἂν ἀδικήσαιμι τοὺς διδασκάλους.

De exercitatione memoriae.

Sed iam mittamus *Nubes* fabulam. Quod autem vidimus Socrati Aristophaneo in primis firmam tenacissimamque

discipulorum memoriam magni momenti visam esse, sophistas revera eam in scholis exercuisse etiam aliunde probabile fit. Satis notum est Graecos, qua erant in omnibus rebus admirabili elegantia, iam in scholis grammatistarum, itaque statim ab initio, pueros optimi cuiusque poetae operibus imbuisse, non solum id spectantes, ut pueri formas literarum discerent et verba conecterent, sed etiam ut pulchri et honesti aliquid acciperent, quod ad honeste vivendum incitaret [1]. Locum Protagorae (325 E) supra [2] iam attigimus: καὶ ἐπειδὰν αὖ γράμματα μάθωσι καὶ μέλλωσιν συνήσειν τὰ γεγραμμένα ὥσπερ τότε τὴν φωνήν, παρατιθέασιν αὐτοῖς ἐπὶ τῶν βάθρων ἀναγιγνώσκειν ποιητῶν ἀγαθῶν ποιήματα καὶ ἐκμανθάνειν ἀναγκάζουσιν, ἐν οἷς πολλαὶ μὲν νουθετήσεις ἔνεισι, πολλαὶ δὲ διεξόδοι καὶ ἔπαινοι καὶ ἐγκώμια παλαιῶν ἀνδρῶν ἀγαθῶν, ἵνα ὁ παῖς ζηλῶν μιμῆται καὶ ὀρέγηται τοιοῦτος γενέσθαι. Quem morem Graeci etiam inferioribus temporibus, ut papyri demonstrant, semper secuti sunt; item Romani, quippe quorum disciplina a Graecis pendeat [3].

Illud vero ἐκμανθάνειν, quod iustos sane fines nonnumquam egrediebatur neque pueris semper delectationem afferebat [4], ea tantum de causa adhibebatur, ut dictis clarorum virorum animis rudibus impressis pueri meliores fierent [5]. Sophistae autem primi ipsam memoriam exercere voluisse putandi sunt, quod ea maxime adiuvante homines discere possent. Veluti *Dial.* fr. nono [6] legitur: μέγιστον δὲ καὶ κάλλιστον ἐξεύρημα εὕρηται μνάμα καὶ ἐς πάντα χρήσιμον, ἐς τὰν σοφίαν τε καὶ ἐς τὸν βίον. ἔστι δὲ τοῦτο <πρᾶτον>· ἐὰν προσέχῃς

De Dialexeon fragmento nono.

---

1) Vide P. Beudel l.l. p. 15 sqq.

2) p. 25 sqq.

3) Cf. P. Beudel l.l.; Quinct. I 1, 36: electos, ex poetis maxime, locos ediscere inter lusum licet.

4) Ut demonstratur locis a Guilelmo Nestle (ad *Prot.* 325 E.) allatis: e.g. Xen. *Sympos.* 3, 5 ἠνάγκασέ με πάντα τὰ Ὁμήρου ἔπη μαθεῖν (!), Plat. *Euthyd.* 276 C, *Legg.* VII 810 E.

5) Xen. *Symp.* 3, 5: ὅπως ἀνὴρ ἀγαθὸς γενοίμην.

6) Diels II^3 345, 8=648^2.

τὸν νοῦν, <τὰ> διὰ τούτω παρελθόντα ἁ γνώμα μᾶλλον αἰσθησεῖται. δεύτερον δὲ μελετᾶν, ἅ κα ἀκούσῃς· τῷ γὰρ πολλάκις ταὐτὰ ἀκοῦσαι καὶ εἶπαι ἐς μνάμαν παρεγένετο σύνολον ὃ ἔμαθες. τρίτον ἃ κα ἀκούσῃς ἐπὶ τὰ οἶδας καταθέσθαι. Nonne haec revera sunt χρυσᾶ ἔπη, aurea paedagogica praecepta, quae novam redolent institutionem, ab antiqua a maioribus accepta omnino diversam? Tria illa praecepta nostris demum temporibus tamquam principia artis docendi ponuntur [1]) et totam fere didacticam comprehendunt. Verba quaedam v. cl. Frederici Paulsen comparatione dignissima adscribere iuvat. In libro eius cuititulus '*Paedagogik*' II c. IV (de memoria) haec leguntur (p. 252): „*Fragen* „*wir nach den Bedingungen, von denen das Beharren der* „*Vorstellungen im Gedächtnis abhängig ist, so werden wir* „*auf drei Momente hingewiesen : 1. die Stärke des ursprüng-* „*lichen Eindrucks oder die Energie, womit der Inhalt ur-* „*sprünglich im Bewusstsein gesetzt wurde* (ἐὰν προσέχῃς τὸν „νοῦν); *diese ursprüngliche Stärke des Eindrucks hängt* „*wiederum wesentlich ab von der Grösse des Interesses,* „*das sich ihm zuwandte, von der Intensität der Aufmerksam-* „*keit, die er erregte ; je aufmerksamer ein Inhalt aufgenom-* „*men wird, desto tiefer prägt er sich ein, desto fester haftet* „*er. 2. Die Häufigkeit der Wiederholung* (τῷ πολλάκις ταὐτὰ „ἀκοῦσαι): *je öfter ein Inhalt ins Bewusstsein erhoben oder* „*neu erzeugt wird, desto fester haftet er im Gedächtnis. 3.* „*Die innere Ordnung und Gliederung des Zusammenhangs* „*der Vorstellungsreihen : je besser die Glieder einer Reihe* „*assoziiert* (ἅ κα ἀκούσῃς ἐπὶ τὰ οἶδας καταθέσθαι), *je durch-* „*sichtiger und übersichtlicher sie geordnet sind, desto leichter* „*werden sie eingeprägt und reproduziert.*" Nonne Paulsenum

Comparantur verba v. cl. Paulsen.

1) Cf. Quinct. I 1, 36: nam (memoria) in iis, de quibus nunc loquimur, aetatibus — prope sola est, quae iuvari cura docentium possit (et II 17, 12; XI 2; de Quinctiliano vide infra p. 137 n. 1). Item fontem sophisticum suspicor apud Auctorem ad Herennium III c. 16 sqq., ubi prorsus eadem leguntur.

ipsa sophistae verba exscripsisse dicas? Nil novi sub divo!

De Hippia. Suum itaque locum in arte docendi sophistae memoriae assignasse videntur, neque solum eam adhibuisse ut dicta moralia veterum poetarum ediscerent pueri, sed tamquam generale eruditionis subsidium auxilio arcessivisse. Quibus perpensis iam ea quae de Hippia Eleo traduntur, qui mirabilem in modum memoriam exercuisse narratur, rectius aestimari possunt. Ipse gloriatur sese totam fere quam nos dicere solemus antiquitatem mente comprehendere, item usque ad quinquaginta verba semel tantum audita memoria tenere et reddere posse (*Hipp. Mai.* 285 D). Artem μνημονικήν eum docuisse narrat Xenophon *Symp.* 4, 62 οἶδά σε Ἱππίᾳ τῷ Ἠλείῳ [sc. προαγωγεύσαντα Καλλίαν] παρ' οὗ οὗτος καὶ τὸ μνημονικὸν ἔμαθεν. Vestigia illius institutionis servata esse in fragmento nono *Dialexeon* supra [1]) allato primus perhibuit Dümmler (*Akademika* p. 259) quem secutus est H. Gomperz (p. 179); quod equidem non negabo, quamquam ad alium, ignotum fortasse, sophistam haud minus recte referri posse mihi videntur [2]). Sed sint haec utut sunt: non tantum ut παιγνίῳ (quod voluisse videtur H. Gomperz, vide infra n. 2) memoriae exercitationi studuit Hippias, quamquam qua erat vanitate hac in re inter ceteros excellere amabat, sed ut discipuli ea adiu-

---

1) Vide p. 118 sq.

2) Praetermittendum non est Heinricum Gomperz, qui ipse concedit (p. 179): „*dass seine (des Hippias) Mnemotechnik ein Unterrichtsbehelf* „*gewesen sein möge — denn jene Regeln scheinen auf die Erleichterung* „*des Lernens als auf ihren letzten Zweck angelegt zu sein*", — ad suam tamen thesin haec accomodare mirabili modo sustinuisse (p. 73): „*sind* „*die — mnemotechnischen Bestrebungen des Hippias aus dieser Wurzel* (i.e. *aus seinem Unterrichtsbetriebe) zu erklären, so hätten wir hier das* „*erstmalige Auftreten eines sachlichen Interesses von besonderer Art* „*festzustellen, das uns bei anderen Sophisten noch deutlicher entgegen-* „*treten wird: ich meine jenes sachliche Interesse, in das sich auch ein* „*rein formales Bildungsideal, sobald es berufsmässig vertreten wird, von* „*selbst umsetzt — nämlich das sachliche Interesse an der Form selbst.*" En deus ex machina! (Vide supra p. 62).

vante facilius omni doctrina imbuerentur, et ea quasi ministra semper parata uti possent.

Quid Alcidamas de memoria exercenda scripserit.

Cuius rei novum hic adducam liceat testem, Alcidamantem, in cuius oratione περὶ τῶν τοὺς γραπτοὺς λόγους γραφόντων ἢ περὶ σοφιστῶν[1]) etiam plura notatu dignissima inveniuntur. Ne memoria debilitetur atque extenuetur eorum qui scriptas tantummodo componant orationes valde metuit. Ipsum audias[2]) : νομίζω δὲ καὶ τὴν μάθησιν τῶν γραπτῶν λόγων χαλεπὴν καὶ τὴν μνήμην ἐπίπονον καὶ τὴν λήθην αἰσχρὰν ἐν τοῖς ἀγῶσι γίγνεσθαι. πάντες γὰρ ἂν ὁμολογήσειαν τὰ μικρὰ τῶν μεγάλων καὶ τὰ πολλὰ τῶν ὀλίγων χαλεπώτερον εἶναι μαθεῖν καὶ μνημονεῦσαι. περὶ μὲν οὖν τοὺς αὐτοσχεδιασμοὺς ἐπὶ τῶν ἐνθυμημάτων δεῖ μόνον τὴν γνώμην ἔχειν, τοῖς δ' ὀνόμασιν ἐκ τοῦ παραυτίκα δηλοῦν· ἐν δὲ τοῖς γραπτοῖς λόγοις καὶ τῶν ὀνομάτων [καὶ τῶν ἐνθυμημάτων] καὶ συλλαβῶν ἀναγκαῖόν ἐστι ποιεῖσθαι τὴν μνήμην καὶ τὴν μάθησιν ἀκριβῆ. ἐνθυμήματα μὲν οὖν ὀλίγα καὶ μεγάλα τοῖς λόγοις ἔνεστιν, ὀνόματα δὲ καὶ ῥήματα πολλὰ καὶ ταπεινὰ καὶ μικρὸν ἀλλήλων διαφέροντα, καὶ τῶν μὲν ἐνθυμημάτων ἅπαξ ἕκαστον δηλοῦται, τοῖς δ' ὀνόμασι πολλάκις τοῖς αὐτοῖς ἀναγκαζόμεθα χρῆσθαι· διὸ τῶν μὲν εὔπορος ἡ μνήμη, τῶν δὲ δυσανάληπτος ἡ μνήμη καὶ δυσφύλακτος ἡ μάθησις καθέστηκεν. ἔτι τοίνυν αἱ λῆθαι περὶ μὲν τοὺς αὐτοσχεδιασμοὺς ἄδηλον τὴν αἰσχύνην ἔχουσιν. εὐλύτου γὰρ τῆς ἑρμηνείας οὔσης καὶ τῶν ὀνομάτων οὐκ ἀκριβῶς συνεξεσμένων, ἂν ἄρα καὶ διαφύγῃ τι τῶν ἐνθυμημάτων, οὐ χαλεπὸν ὑπερβῆναι τῷ ῥήτορι καὶ τῶν ἐφεξῆς ἐνθυμημάτων ἀψάμενον μηδεμιᾷ τὸν λόγον αἰσχύνῃ περιβαλεῖν· ἀλλὰ καὶ τῶν διαφυγόντων, ἂν ὕστερον ἀναμνησθῇ, ῥᾴδιον ποιήσασθαι τὴν δήλωσιν. τοῖς δὲ γεγραμμένα λέγουσιν, ἂν κατὰ μικρὸν ὑπὸ τῆς ἀγωνίας ἐκλίπωσί τι καὶ παραλλάξωσιν, ἀπορίαν ἀνάγκη καὶ πλάνον καὶ ζήτησιν ἐγγενέσθαι, καὶ μακροὺς μὲν χρόνους ἐπίσχειν, πολλάκις δὲ τῇ σιωπῇ διαλαμβάνειν τὸν λόγον, ἀσχήμονα δὲ καὶ καταγέλαστον καὶ δυσεπικούρητον καθεστάναι τὴν ἀπορίαν.

---

1) In Blassii editione orationum Antiphontis[2] (1908) p. 193 sqq.

2) Ibid. p. 199.

Longiorem sane locum totum exscripsi, quod optime mihi διδακτικόν quem diximus sophistarum etiam posterioris aetatis animum illustrare videtur. Nam etsi iam Alcidamantis aetate omnis illorum institutio artem rhetoricam spectabat[1]) — quod etiam de loco allato valet —, quae utilia hic lectoribus suadet scriptor de unaquaque institutione dici possunt et dignissima sunt quae ab omni praeceptore saepius relegantur. Si quid revera mente complecti volumus, ipsa verba nil prosunt; sententiarum ordo percipiendus est, quo modo singula inter se cohaereant, quorsus tendant intellegendum — hoc totius orationis argumentum atque tenor est. Quod ut indicem quantopere sit διδακτικόν nec ῥητορικόν iterum laudare lubet Fredericum Paulsen, apud quem (*Paedagogik* II c. 2: *Die allgemeine Form des Unterrichts*, p. 225) habes haecce: „*Wir wollen nun versuchen,* „*uns das Wesen der Tätigkeit, die wir Lehren und Lernen* „*nennen, deutlich zu machen, um hieraus dann die Grund-* „*regeln der allgemeinen Didaktik abzuleiten. Als Grundvor-* „*aussetzung eines wirklichen Verständnisses der Sache* „*stelle ich den Satz hin: Lehren besteht nicht in einem* „*Uebergeben, und Lernen nicht in einem passiven Aufnehmen* „*von Kenntnissen, die der Lehrer besitzt. — Was den* „*täuschenden Schein erregt als könne Erkenntnis einfach* „*von Subject zu Subject übertragen werden, ist, dass* „*Wörter, Sätze, Formeln in gewissem Sinne mitgeteilt* „*werden können. Aber Wörter sind nicht Begriffe,* „*und hersagbare Sätze und Formeln nicht die Erkenntnisse*

Conferuntur iterum verba Frederici Paulsen.

1) Contra Heinricum Gomperz monendum tamen est illa quoque aetate communis vitae usus eos inprimis rationem habuisse; quod et haec Alcidamantis oratio passim testatur, e. g. *ἡγοῦμαι δὲ καὶ τῷ βίῳ τῶν ἀνθρώπων τὸ μὲν λέγειν.... χρήσιμον εἶναι κτλ.* (§ 9), *τῇ χρείᾳ τῶν ἀνθρώπων* (§ 10), *ὅτι (οἱ γραπτοὶ λόγοι) τὸν βίον τῶν μεταχειριζομένων ἀνώμαλον καθιστᾶσι* (§ 13), *χρῆσιν δ'οὐδεμίαν τῷ τῶν ἀνθρώπων βίῳ παραδίδωσιν* (§ 27), *τῇ χρείᾳ τοῦ βίου σύμμετρον τὴν δύναμιν τῶν λόγων κεκτῆσθαι πρόθυμός ἐστιν* (§ 34), et sic passim.

„selbst, sondern Sprachzeichen[1]). *Erkenntnis, ich wiederhole „es, ist eine rein innere Funktion, eine schöpferische Be- „tätigung der Seele.*" Eandem hanc opinionem („*Grundvoraussetzung*") iam Alcidamas eodem fere modo neque minus eleganter expressit. Atque hoc generale paedagogicum propositum passim apud eum est videre. Statim ab initio queritur sophistas qui dicantur nec sint, qui verba scripta tantummodo curent, veram doctrinam et artem p a e d a g o g i c a m neglexisse: ἐπειδή τινες τῶν καλουμένων σοφιστῶν ἱστορίας μὲν καὶ π α ι δ ε ί α ς ἠμελήκασι κτλ. (§ 1). Poetae potius quam sophistae appellandi illi sunt (§ 2). Veri sophistae enim est εἰπεῖν ἐκ τοῦ παραυτίκα περὶ τοῦ παρατυχόντος ἐπιεικῶς, καὶ ταχείᾳ χρήσασθαι τῶν ἐνθυμημάτων, καὶ τῶν ὀνομάτων εὐπορίᾳ, quod οὔτε φύσεως ἁπάσης οὔτε π α ι δ ε ί α ς τῆς τυχούσης ἐστίν (§ 3). At ἐν πολλῷ χρόνῳ γράψαι καὶ κατὰ σχολὴν ἐπανορθῶσαι... καὶ τοῖς ἀ π α ι δ ε ύ τ ο ι ς ῥᾴδιον πέφυκεν (§ 4). Paulo infra rogat: πῶς οὐ χρὴ καὶ τ ῆ ς π α ι δ ε ί α ς ἐκείνην μάλιστα τιμᾶν, ἀφ᾽ ἧς πρὸς τοῦτο τὸ γένος τῶν λόγων εὐπόρως ἕξομεν, omnibus consideratis quae vitae maximo usui esse videmus (§ 13). Et ipsum sophistam, τὸν παιδεύσειν ἑτέρους ὑπισχνούμενον, minime decet μηδὲν τῶν ἀπαιδεύτων βελτίω καθεστάναι.

Itaque non oratorem, sed paedagogum, διδάσκαλον, verum sophistam, hac in oratione equidem verba facientem audio. Identidem docet quantum hac in re valeat φύσις, quantum ἄσκησις vel μελέτη[2]), de quibus paedagogicis sophistarum elementis supra fusius egimus[3]). Sic quoque quae de μνήμη et λήθη exposuit optime demonstrant vim atque significationem memoriae in omni re discenda; reicienda igitur esse studia, quibus ea non exerceatur. Scriptorum verborum difficilis est memoria, ergo dilabitur. Quarum enim rerum δυσανάληπτος ἡ μνήμη, earum et δυσφύλακτος

1) i. e. verba νόμῳ sunt!
2) § 3. 15. 17. 35.
3) Cap. II § 4 p. 91 sqq.; cf. infra p. 132.

ἡ μάθησις est (§ 19). Quod utinam semper meminerint magistri! Ac mihi quidem haec omnia de memoriae praestantia perlegenti admiratio subit animum sophistas de tot tantisque quaestionibus, de quibus nostra aetate quotidie fere libri in lucem prodeunt, iam cogitasse, earumque vim et indagavisse et perspexisse!

De poetis interpretandis. Restat ut paucis exponamus qua ratione in poetis interpretandis versati sint sophistae, quod optime ex Platonis *Protagora*[1]) cognoscitur. Poetas, Homerum inprimis, semper in pueris et adulescentibus educandis magnas habuisse partes vix est quod moneam[2]). Iuvenum autem labore studioque hanc ob causam digni videbantur, quod tot tantaque exempla καλοκαγαθίας praeberent, quae legendo et ediscendo penitus in eorum mentibus inhaerescere debebant; ἵνα ὁ παῖς ζηλῶν μιμῆται καὶ ὀρέγηται τοιοῦτος γενέσθαι, ut ait Protagoras loco supra iam laudato (326 A). Itaque eodem consilio legebantur poetae quo Sacra Biblia antea apud nos in scholis ecclesiasticis; procul dubio carmina Homerica Graecis multo magis sacrae scripturae instar erant quam studiorum libri. Inde philosophi in libris suis vel orationibus Homerum occasione tantum oblata memorabant. Sophistae vero primi dedita opera in eo interpretando versati esse videntur; „non solum ad res sed „etiam ad verba eorumque significationes, i. e. ad gram„maticas rationes, non solum ad singulos locos, sed ad uni„versi carminis indolem, ad sententiarum inter se nexum, ad „personas ab eo descriptas, ad poetae consilium illustrandum „animum advertebant. — Et in omnibus his saepius iam illas „quaestiones attingebant, quas postea grammatici Alexandrini „vi ac ratione tractare et solvere (λύειν) solebant"[3]). Haec

1) 338 E sqq.; cf. quae supra p. 51. 53 de hac re iam diximus.

2) Cf. Ziebarth *Jahresber. d. österreich. arch. Inst.* 1910 p. 115; P. Beudel l.l. p. 30.

3) Verba sunt Friedelii l.l. p. 132 (supra quoque p. 51 sq. a me laudata).

sunt studia quae spectat Protagoras (338 E) ubi, Simonidei carminis interpretationem aggressus [1]), μέγιστον παιδείας μέρος hominibus esse dicit περὶ ἐπῶν δεινὸν εἶναι. Quod ipse deinde sic explicat: τὰ ὑπὸ τῶν ποιητῶν λεγόμενα οἷόν τε εἶναι συνιέναι ἅ τε ὀρθῶς πεποίηται καὶ ἃ μή, καὶ ἐπίστασθαι διελεῖν τε καὶ ἐρωτώμενων λόγον δοῦναι. Quaerebatur igitur quid diceret poeta (τί λέγει ὁ ποιητής, 339 E), quid vellet (τί διανοούμενος, 347 A), quae poetae sententiae rectae, quae pravae essent (καλῶς τε καὶ ὀρθῶς, 339 B). Quae omnia de singulis vocibus, de singulorum locorum sententiis, de totius denique carminis indole et consilio disputatione instituta fusius illustrabantur. De recta sane verborum interpretatione nihil fere. Moralis illa est interpretatio, ut iure monuit K. Lehrs [2]), veluti in *Hippia* dialogo, ubi quaeritur Achillem an Ulixem Homerus virtute praestantiorem finxerit. Recte enim perhibet Friedel [3]), quem hic secutus sum, quamquam non omnia Protagorae verum magnam partem Platoni debeantur, tamen ea aliquatenus etiam sophistae tribui posse, cum praesertim illud περὶ ἐπῶν δεινὸν εἶναι ab eo ipso profectum esse videatur. Socratem enim iustam interpretationem exorsum promittere se secundum Protagorae verba (ὃ σὺ λέγεις τοῦτο, 342 A) περὶ ἐπῶν dicturum esse, et verbis ὃ σὺ λέγεις τοῦτο sine dubio nomen illud Protagoreum vel novum et inusitatum vel non ab omni parte aptum fuisse significare [4]). Friedel autem cum de sophistarum arte interpretandi in dissertatione de eorum studiis Homericis tam fuse egerit ut nihil fere adiciendum sit, lectorem qui hac de re plura scire velit ad eius librum delegamus.

---

1) Cf. supra p. 53.
2) *De Aristarchi studiis Homericis*[3] p. 40.
3) Friedel l. l. p. 146.
4) Cf. quae leguntur in *Nubibus*, v. 632 sqq.: *τί βούλει πρῶτα νυνὶ μανθάνειν, ... πότερα περὶ μέτρων ἢ ῥυθμῶν ἢ περὶ ἐπῶν;*

De sophistarum arte docendi. Haec fere sunt quae de sophistarum arte docendi colligi poterant. Multi sane restant loci, qui huc spectare videntur; quibus tamen, cum certi nihil prodant, potius abstinendum. Sed quae exposui sufficere opinor ut recte contendisse videar artem illam docendi, etiam tum ignotam, diligenter a sophistis excultam esse, hoc eorum institutionis caput fuisse. Mea quidem opinione sophistae primi intellexerunt τέχνην quandam exstare διδακτικήν, quam studiose addiscere debeant magistri. Hoc mentibus nostris penitus si mandaverimus, iam apparet posterioris aetatis sophistas arte et continuo coniunctos esse cum prioribus et cognatione quadam eos inter se contineri, ut iam animadvertit Wilamowitzius[1]). Etenim vidimus et illos non tam rhetores fuisse, quam veros praeceptores, et summo iure habendos esse prototypum ut ita dicam professorum nostrarum universitatium literarum[2]). Quod si ita est non est cur miremur unde originem ceperint gymnasia illa[3]), ludi iuvenum

---

1) *Hermes* 35 (1900) p. 1 sqq., apud Fr. Lübker *Reallexikon*[8] (1914), s. v. „*Sophistik (Zweite)*" p. 964: „*Jetzt hat man erkannt dass* „*ein ununterbrochener Zusammenhang der praktischen Uebung in Schule* „*und Leben von der älteren Sophistik bis in die neue, und weit über* „*sie hinaus führt*"; cf. H. v. Arnim *Dio v. Prusa*, c. I.

2) Cf. K. A. Schmid *Paedag. Encyclop.* VIII[2] (1887) s.v. '*Sophisten der Römischen Kaiserzeit*': „*Sie verdienen auch in der Geschichte der* „*Pädagogik ernstere Beachtung als sie bisher gefunden haben*" (p. 883); „*immerhin muss man erkennen dass die Sophisten .... bis* „*in das fünfte Jahrhundert allen höheren Unterricht in den Händen* „*behalten haben*" (p. 886); „*Wirksamkeit der Sophisten als Erzieher ...;* „*sie waren sich der hiermit bezeichneten Pflicht recht wohl bewusst* „*und machten sich die Erfüllung derselben nicht leicht*" (p. 898); „*kein Zweifel dass im allgemeinen die Zucht in den Sophisten-* „*schulen eine sehr strenge gewesen*" (p. 898); notandum est eum de nostris sophistis omnino tacere, vide infra p. 128 n. 1).

3) E. Ziebarth *Aus dem Griechischen Schulwesen*[2] (1914); U. v. Wilamowitz-Moellendorff *Gött. Gel. Anz.* 1900, 53 sq.; Pauly-Wissowa *Realenzykl.* s.v. „Gymnasion" (14, 2011 sqq.).

non ad corporis sed ad mentis exercitationem instituti, quae aetate hellenistica quae dicitur in omnibus fere urbibus, ubi tunc Graeci habitabant, fuisse audimus; quae liberae Graeciae temporibus, ante saeculum quartum iniens, prorsus ignota erant. Sophistis eam formam scholarum deberi mihi constat.

CONCLUSIO.

Optime de institutione et praeceptione meriti sunt sophistae.

Quaestione de sophistis Graeciae praeceptoribus ad finem perducta, superest ut breviter exponamus quid ex eis, quae supra exposita sint, colligi possit ad sophistas recte aestimandos. Ac primum satis demonstrasse mihi videor sophistas revera διδασκάλους, 'professores', et esse voluisse et fuisse, nec vero non sua aetate ita habitos esse; artem docendi eos coluisse, et hanc praecipue eorum τέχνην fuisse; itaque philosophis eos quadamtenus quidem annumerandos, in historia vero didactices illustri loco de eis agendum esse. Si minus de educatione [1], attamen optime de institutione ac praeceptione meriti sunt, cum inprimis adulescentibus ludum grammatistae egressis, qui tamen studio discendi flagrarent, cuperentque σοφοὶ γενέσθαι [2], institutionem quandam continuatam dare conarentur. Quam artem atque disciplinam per sequentia saecula semper quasi propriam fuisse eorum qui sophistarum nomine se appellaverint breviter in fine indicavimus. Contendimus igitur minus probabilem hac de re sententiam protulisse Heinricum Gomperz, qui eos rhetores fuisse neque quicquam nisi meram artem rhetoricam docuisse perhibuit.

---

1) Quamquam lectores satis intelligere puto iniuria apud K. A. Schmid *Geschichte der Erziehung* I (cur. G. Baur 1884) sophistas tribus tantum verbis idque inter rhetores (p. 252) commemorari.

2) Plat. *Lach.* 121 C; totum illud dialogi initium dignissimum est quod relegatur.

Duo addo, quae mihi in sophistarum studia inquirenti magis magisque notabilia esse viss sunt.

Synthesin inter φύσιν et νόμον constituerunt.

Unum est quod sophistae quae φύσει quaeque νόμῳ sunt, opposita inter se et inimicissima, conciliare conati sunt [1]. Id quod ad sophistas recte iudicandos summi mihi videtur momenti. In omnibus enim rebus humanis aestimandis opiniones diversae proferuntur, quae omnes suam quamque partem veritatis habere solent. Sed ad bene iusteque vivendum synthesin quandam inter eas efficere debemus, ut suum cuique tribuamus. Totam igitur Graeciam ad hanc concordiam, ὁμόνοιαν, educare volebant. Hoc Protagoras extremum mihi spectasse videtur cum leges moresque, νόμιμα, diversorum populorum colligeret, ut comparatione instituta omnium rerum vim relativam esse demonstraret; hoc Antiphon sophista, quem libellum περὶ ὁμονοίας scripsisse scimus [2]. Idem audio in verbis illis celeberrimis Hippiae: ὦ ἄνδρες οἱ παρόντες, ἡγοῦμαι ἐγὼ ὑμᾶς συγγενεῖς τε καὶ οἰκείους καὶ πολίτας ἅπαντας εἶναι φύσει οὐ νόμῳ, et reliquis quae leguntur in Platonis *Protagora* (337 C sqq.); idem denique passim occurrit apud Anonymum Iamblichi et in fragmentis Dialexeon. Sed haec quae longiore egeant disquisitione posterioribus curis vel meis vel alienis relinquenda sunt.

Populari rationi faverunt.

Alterum autem, quod cum superiore artissime cohaeret, hoc est, quod sophistae democratiam, quae ad id tempus magis commodis cupiditatibusque plebis inserviebat, solidis studiorum et rationis argumentis fulcire primi studuerunt. Dicto Democriti πλεόνες ἐξ ἀσκήσιος ἀγαθοὶ γίνονται ἢ ἀπὸ φύσιος [3] assensos esse patet eos qui per διδαχήν iuvenes ad virtutem ducere vellent. A genuina autem aristocratia id alienum est. Naturam sane nullius momenti non duxerunt; hac quoque in re synthesin illam professi sunt, quam supra indicavimus [4]; sed

1) Cf. supra p. 40. 43. 45. 46. 49. 59. 63. 79. 81. 86 (n. 3). 90. 93. 104.

2) Cf. supra p. 88.

3) Fr. 242: Diels II³ 109, 1=428².

4) Cf. supra p. 79.

quod ἀσκήσει et μελέτῃ tantum tribuerent, eo rationi populari vel maxime eos favisse vix erit qui neget. Deinde cum monerent ea de quibus dissentiamus mittenda esse, pluris facienda ea de quibus consentiamus nervum ut ita dicam verae democratiae, me quidem iudice, rectissime indicaverunt. Quod melius illustrare non possum quam si locum longiorem, sed nostram in rem egregium, totum exscripsero quem cum primum perlegi mirari mihi subit iis verbis optime sophistae quid voluerint illustrari. Ad integra itaque verba [1]) lectore huius rei studioso ablegato haec tantum affero [2]) :

„*Dit is het eerste beginsel der democratie : dat de essen-*
„*tieele dingen in menschen de dingen zijn, waarin zij over-*
„*eenstemmen, niet die waarin zij verschillen. En het tweede*
„*beginsel is eenvoudig dit : dat het politieke instinct, de*
„*politieke begeerte een van de dingen is waarin zij overeen-*
„*stemmen* [3]). *Liefhebben is dichterlijker dan dichten. De*
„*democratische bewering is, dat het staatsbestuur (meehelpen*
„*om den stam te regeeren) iets is als liefhebben, en niet iets*
„*als dichten. — Kortom, het democratische geloof is dit :*
„*dat de meest geweldige, de waarlijk belangrijke dingen*
„*moeten overgelaten worden aan de gewone menschen zelf.*"

Πάντων χρημάτων μέτρον ἐστὶν ἄνθρωπος! Verba illa notissima hic alia luce illustrata sponte recurrunt. Revera, ‘quid est aetas hominis nisi ea memoria rerum veterum cum superiorum aetate contexitur?’ [4]). Sic nobis quoque, qui in

---

1) Ph. Kohnstamm *Democratie* p. 4 sqq. (*Synthese* p. 80; ecce duo eadem illa verta coniuncta!).

2) Chestertoni sunt, a Philippo Kohnstamm in suum usum translata.

3) Eadem hac sententia tota prior pars dialogi *Protagorae* imbuta est: *ὅτι μὲν οὖν πάντ' ἄνδρα εἰκότως ἀποδέχονται περὶ ταύτης τῆς ἀρετῆς σύμβουλον εἶναι διὰ τὸ ἡγεῖσθαι παντὶ μετεῖναι αὐτῆς, ταῦτα λέγω* (323 C). Hoc in primis celeberrima illa fabula demonstraverat (de qua vide supra p. 79 n. 2).

4) Cic. *Orat.* § 120.

ea humanitatis studia, quibus maiores nostri solidam sibi gloriam comparaverunt incumbimus, quamquam hac qua vivimus aetate interdum nescio quo modo laborare coeperunt ac prope dixerim contemni, antiqua historia omnibus fere in rebus utilissimam se praebet vitae ac disciplinae magistram. Ac ne in paedagogicis quidem quaestionibus nos ab ea destitui si haud frustra probare conatus ero, satis habebo.

APPENDIX.

De sophistarum triade paedagogica.

Apud sophistas cum tria elementa paedagogica invenerimus quibus suas attribuerent partes, operae pretium est breviter recensere eos scriptores qui post illos eandem doctrinam protulerunt. Notissima sane apud posteros erat tripartita illa divisio, qua ad τὴν παίδευσιν tria una agere dicuntur, ψυχή, ἄσκησις, τέχνη. Ψυχή ad hominis naturam, φύσιν, pertinet; quae, utut sese habet, accipienda est, funditus mutari nequit. Eam ἀσκεῖν, i.e. assiduo nec intermisso labore colere, exercere, erudire et possumus et debemus. Quod tamen unus vir vix perficere potest; ars quaedam magistri vel praeceptoris accedat necesse est. Haec est τέχνη illa, sive διδαχή. Hoc omnes fere qui posteriore aetate de educatione scripserunt suo quisque modo praedicaverunt.

Plutarchus. Primo loco laudare iuvat locum Plutarchi *de puerorum educatione* c. 4: περὶ δὲ τῆς ἀγωγῆς καὶ δὴ λεκτέον. καθόλου μὲν οὖν εἰπεῖν, ὃ κατὰ τῶν τεχνῶν καὶ ἐπιστημῶν λέγειν εἰώθαμεν, ταὐτόν καὶ κατὰ τῆς ἀρετῆς φατέον ἐστίν, ὡς εἰς τὴν παντελῆ δικαιοπραγίαν τρία δεῖ συνδραμεῖν, φύσιν, καὶ λόγον, και ἔθος[1]). καλῶ δὲ λόγον μὲν τὴν μάθησιν, ἔθος δὲ τὴν ἄσκησιν. εἰσὶ δὲ αἱ μὲν ἀρχαὶ τῆς φύσεως, αἱ δὲ προκοπαὶ τῆς μαθήσεως, αἱ δὲ χρήσεις τῆς μελέτης, αἱ δὲ ἀκρότητες πάντων. καθ' ὃ δ' ἂν λειφθῇ τι τούτων, κατὰ τοῦτ' ἀνάγκη χωλὴν γίγνεσθαι τὴν ἀρετήν [cf. Protag. fr. 10 supra p. 94]. ἡ μὲν γὰρ φύσις ἄνευ μαθήσεως τυφλόν, ἡ δὲ μάθησις

---

1) Nota auctorem tria elementa iniusto ordine adhibuisse. Iisdem vocabulis utitur quibus Aristoteles usus erat, vide infra p. 135.

δίχα φύσεως ἐλλιπές, ἡ δὲ ἄσκησις χωρὶς ἀμφοῖν ἀτελές. ὥσπερ δὲ ἐπὶ γεωργίας πρῶτον μὲν ἀγαθὴν ὑπάρξαι δεῖ τὴν γῆν, εἶτα δὲ φυτουργὸν ἐπιστήμονα, εἶτα τὰ σπέρματα σπουδαῖα, τὸν αὐτὸν τρόπον γῇ μὲν ἔοικεν ἡ φύσις, γεωργῷ δὲ ὁ παιδεύων, σπέρματι δὲ αἱ τῶν λόγων ὑποθῆκαι καὶ τὰ παραγγέλματα. — εὐδαίμων μὲν οὖν καὶ θεοφιλής, εἴ τῳ ταῦτα πάντα θεῶν τις ἀπέδωκεν. εἰ δέ τις οἴεται τοὺς οὐκ εὖ πεφυκότας, μαθήσεως καὶ μελέτης τυχόντας ὀρθῆς πρὸς ἀρετὴν, οὐκ ἂν τὴν τῆς φύσεως ἐλάττωσιν εἰς τοὐνδεχόμενον ἀναδραμεῖν, ἴστω πολλοῦ, μᾶλλον δὲ τοῦ παντὸς, διαμαρτάνων. φύσεως μὲν γὰρ ἀρετὴν διαφθείρει ῥαθυμία, φαυλότητα δὲ ἐπανορθοῖ διδαχή· καὶ τὰ μὲν ῥᾴδια τοὺς ἀμελοῦντας φεύγει, τὰ δὲ χαλεπὰ ταῖς ἐπιμελείαις ἁλίσκεται [1]. Uberrimum sane est testimonium nitidissimi huius libelli, praeceptori Germaniae, Philippo Melanchtoni, carissimi [2]. Saepius quoque in sequentibus trias haec paedagogica commemoratur, ut quasi fundamentum educationis existimata videatur.

Sed — ut chronologicum quendam ordinem servem — apud superiorum quoque temporum scriptores, aequales prope sophistarum, vel qui paulo post vixerunt, certa illius triados vestigia reperiuntur. Iam Euripides *Iphig. in Aul.* 554 sqq. [3]: διάφοροι δὲ φύσεις βροτῶν, διάφοροι δὲ τρόποι· — τρόφαι θ' αἱ παιδευόμεναι μέγα φέρουσ' εἰς τὰν ἀρετάν: diversa sunt hominum ingenia, diversi mores; multumque conferunt ad virtutem educationes quibus pueri recte instituuntur. Locos Democriti (fr. 33. 59. 182. 183. 242) et Platonis collegit Busse [4]. In Thucydidis opere hic locus

Euripides.

Democritus

Thucydides.

1) Cf. Wyttenbachii *Animadversiones* in hunc libellum (*Plutarchi Moralia* XI) ex quibus plurima sumpsi.

2) Vide programma eius quo praelectiones publicas in hunc Plutarchi librum destinatas indicavit (in editione Plutarchi *de Lib. Educ.* quam curavit Heusingerus, 1749).

3) Cf. *Hec.* 592 sqq.; *Electr.* 367 sqq.; *Suppl.* 911; fragm. 810.

4) *Neue Jahrb. f. d. klass. Altert.* 26 (1910) p. 473 sqq. (videas quoque p. 465, ubi n. 3 pro 'Phaedo' legendum Phaedro; cf. infra). De Protagora et Democrito consentientibus egit W. Nestle *Philol.* 1908 p. 552.

notatu dignissimus mihi obvenit (I 138, 3 de Themistocle): τὸ ξύμπαν εἰπεῖν φύσεως μὲν δυνάμει, μελέτης δὲ βραχύτητι, κράτιστος δὴ οὗτος αὐτοσχεδιάζειν τὰ δέοντα ἐγένετο. Adhibendus quoque alter, I 121, 4, ubi Corinthiorum sunt verba (de re navali Atheniensium): εἰ δ' ἀντίσχοιεν, μελετήσομεν καὶ ἡμεῖς ἐν πλείονι χρόνῳ τὰ ναυτικά, καὶ ὅταν τὴν ἐπιστήμην ἐς τὸ ἴσον καταστήσωμεν, τῇ γε εὐψυχίᾳ δήπου περιεσόμεθα. ὃ γὰρ ἡμεῖς ἔχομεν φύσει ἀγαθόν, ἐκείνοις οὐκ ἂν γένοιτο διδαχῇ· ὃ δ' ἐκεῖνοι ἐπιστήμῃ προύχουσι, καθαιρετὸν ἡμῖν ἐστι μελέτῃ. Apud

Xenophon. Xenophontem haec inveni (*Cyneg.* c. XII): οἱ μὲν οὖν παρασχόντες αὑτοὺς ἐπὶ τὸ ἀεί τι μοχθεῖν τε καὶ διδάσκεσθαι ἑαυτοῖς μὲν μαθήσεις καὶ μελέτας ἐπιπόνους ἔχουσι, σωτηρίαν δὲ ταῖς ἑαυτῶν πόλεσιν· οἱ δὲ μὴ θέλοντες διὰ τὸ ἐπίπονον διδάσκεσθαι ἀλλὰ ἐν ἡδοναῖς ἀκαίροις διάγειν, φύσει οὗτοι κάκιστοι. Ibid. c. XIII: οἶδα δὲ ὅτι κράτιστον μέν ἐστι παρὰ τῆς ἑαυτοῦ φύσεως τὸν ἀγαθὸν διδάσκεσθαι, δεύτερον δὲ παρὰ τῶν ἀληθῶς ἀγαθόν τι ἐπισταμένων.

Archytas. Deinde commemoro Archytae Tarentini dictum ex libro περὶ παιδεύσεως ἠθικῆς (qui exstat apud Damascenum): πάντως δὲ ἀρχὴν μὲν τὴν φύσιν προείδεμεν, μέσα δὲ τὴν ἄσκησιν, τέρμα δὲ τὴν εἴδησιν φέρειν. Unum locum

Plato. Platonis (in *Menone* dialogo) supra iam exscripsimus (p. 99), alter est in *Phaedr.* 269 D: εἰ μέν σοι ὑπάρχει φύσει ῥητορικῷ εἶναι, ἔσει ῥήτωρ ἐλλόγιμος, προσλαβὼν ἐπιστήμην τε καὶ μελέτην· ὅτου δ' ἂν ἐλλίπῃς τούτων, ταύτῃ ἀτελὴς ἔσει.

Isocrates. Isocrates quoque in oratione *contra Sophistas*[1]) agit de tribus illis natura, institutione, exercitatione[2]), quae in oratoribus adesse debent: καὶ τούτων μὲν ἁπάντων συμπεσόντων,

---

1) Ex qua oratione etiam facile probari possunt quae in hoc libello exposui de vi vocabulorum ἀρετή, ἐπάγγελμα, διδάσκειν apud sophistas (cf. supra p. 17 n. 1).

2) Ἐμπειρίαν, φύσιν, ἐπιστήμην habes § 10, ἐπιμελείαν, φύσιν, διδάσκαλον § 17.

τελείως ἕξουσιν οἱ φιλοσοφοῦντες· καθ' ὃ δ' ἂν ἐλλειφθῇ τι τῶν εἰρημένων, ἀνάγκη ταύτῃ χεῖρον διακεῖσθαι τοὺς πλησιάζοντας (§ 18). Item in Alcidamantis oratione περὶ σοφιστῶν identidem obveniunt vocabula φύσις, ἐπιμελεία, παιδεία (cf. supra p. 123). Neque desunt apud ceteros sophistas posterioris aetatis, quos tamen non perscrutatus sum. **Alcidamas.**

Sequitur qui citandus est Aristoteles, testis locupletissimus, qui eadem tria elementa in arte paedagogica agnovit. Cuius locos huc pertinentes nuperrime collegit O. Willmann [1]. Princeps est *Polit.* VII 13: τυγχάνομεν δὴ διῃρημένοι πρότερον ὅτι φύσεως καὶ ἔθους καὶ λόγου δεῖ ad colendam virtutem. Concinit dictum eius a Diogene Laertio (V 18) servatum: τριῶν ἔφη δεῖν παιδείᾳ, φύσεως, μαθήσεως, ἀσκήσεως. De oratore agit *Rhetor.* III 10: ποιεῖν μὲν οὖν ἐστι τοῦ εὐφυοῦς ἢ τοῦ γεγυμνασμένου, δεῖξαι δὲ τῆς μεθόδου ταύτης (cf. I 1: εἰκῇ δρῶντες — διὰ συνήθειαν ἀπὸ ἕξεως — θεωρεῖν). Sed omnes locos afferre supersedeo; trias enim illa ubique permanat in studia eius ethica et didactica. Tribus tantum illis elementis una convenientibus perveniri posse ostendit ad summam virtutem, ἀρετήν. Quod vocabulum sophisticum, Aristotelis sermone tritum, itemque vis ac natura quam philosphum ei attribuisse apparet, satis iam docent unde hanc suam doctrinam hauserit. **Aristoteles.**

Ex isdem doctrinae fontibus profectum praeceptum haud infrequenti mentione usurpat Philo Iudaeus, e.g. *de Somniis* 590 B: τὴν ἀρετὴν ἢ φύσει, ἢ ἀσκήσει ἢ μαθήσει παραγίγνεσθαί φασι, et *de Praem. et Poen.* 920 C: πλήρωμα ἀρετῶν ἡ ψυχὴ διὰ τριῶν τῶν ἀρίστων φύσεως, μαθήσεως, ἀσκήσεως [2]. **Philo Iudaeus.**

---

1) O. Willmann *Aristoteles als Paedagog und Didaktiker* (*die grossen Erzieher* II) p. 77 sqq.; cf. eundem *Didaktik* II § 77.

2) Hosce praeterea eius laudat locos Wyttenbachius: *De Agricultura* 210 DE; *De Abrahamo* 358 BD; *De Iosepho* (initio libri) 526 A.

Simylus. Et res eadem et dictio reperitur in fragmento Simyli poetae cuiusdam, quod Wyttenbacho eidem debeo:

οὔτε φύσις ἱκανὴ γίνεται τέχνης ἄτερ
πρὸς οὐδὲν ἐπιτήδευμα παράπαν οὐδενί,
οὔτε πᾶν τέχνη φύσιν μὴ κεκτημένη,
τούτων ὁμοίως τοῖν δυοῖν συνηγμένων
εἰς ταυτὸν ἔτι δεῖ προσλαβεῖν χορηγίαν,
ἔρωτα, μελέτην, καιρὸν, εὐφυῆ χρόνον,
κριτὴν, τὸ ῥηθὲν δυνάμενον συναρπάσαι.
ἐν ᾧ γὰρ ἂν τούτων τις ἀπολειφθεὶς τύχῃ,
οὐκ ἔρχετ' ἐπὶ τὸ τέρμα τοῦ προκειμένου.

Epictetus. Pertinet huc quoque dictum Epicteti[1]: τὸν δὲ τῆς ψυχῆς δεσμὸν λύει ἀρετὴ διὰ μαθήσεως καὶ μεγαλοψυχίας καὶ ἀσκήσεως.

Auctor ad Herennium. Neque denique desunt scriptorum Latinorum testimonia; veluti Auctoris ad Herennium III 16: „ingenii bonitas imitatur saepe doctrinam, ars porro naturae commoda confirmat et auget. — Nec hoc magis aut minus in hac re quam in ceteris artibus fit, ut *ingenio, doctrina, praeceptione* natura nitescat."

Cicero. Oratorem spectat Cicero in exordio orationis *pro Archia poeta:* „si quid est in me ingenii, iudices, quod sentio quam sit exiguum, aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non infitior mediocriter esse versatum, aut si huiusce rei ratio aliqua ab optimarum artium studiis ac disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse[2]. . . . ." Idem rursus *de Orat.* I 32, 146: „ego hanc vim intellego esse in praeceptis omnibus, non ut ea secuti oratores eloquentiae laudem sint adepti, sed, quae sua sponte homines eloquentes facerent, ea quosdam observasse atque collegisse; sic esse non eloquentiam ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum."

1) Apud Stobaeum *Serm.* p. 6.
2) Cf. ibidem § 2: facultas ingenii — ratio — disciplina.

Notissimum est H o r a t i i illud (*Od.* IV 4, 29): **Horatius.**

fortes creantur f o r t i b u s et bonis —
d o c t r i n a sed vim promovet insitam
r e c t i q u e c u l t u s pectora roborant;

et in *Arte Poetica* v. 408 sqq.:

n a t u r ā fieret laudabile carmen an a r t e
quaesitum est: ego nec s t u d i u m sine divite v e n a
nec rude quid prosit video i n g e n i u m, alterius sic
altera poscit opem res et coniurat amice.

Ultimum laudo Q u i n c t i l i a n u m; cuius tamen *Institutio oratoria* cum tota mihi niti videatur triade nostra, plura exempla quibus quam feliciter ab eo doctrina sophistica[1]) observata sit demonstretur afferre supersedeo. „Facultas orandi consummatur n a t u r a, a r t e, e x e r c i t a t i o n e" (III 5, 1), hi tres sunt tamquam cardines rationum in quibus puerorum institutio versari debet. „Praestat i n g e n i o alius alium, concedo; sed ut plus efficiat aut minus, nemo tamen reperitur, qui sit s t u d i o nihil consecutus. Hoc qui perviderit, protinus ut erit parens factus, acrem quam maxime c u r a m spei futuri oratoris impendat" (I 1, 2). Quod planissime eum suo opere demonstrasse nemo negabit qui libros omnes perlegerit. **Quinctilianus.**

Hanc igitur triadem paedagogicam celeberrimam non esse Aristotelis[2]) vel Platonis[3]), sed sophistarum, eis quae supra in paragrapho quarta capitis secundi exposui, probabile ut

---

1) Uberiorem inquisitionem de Quinctiliano sophistarum discipulo (de cuius *Inst. Orat.* sic iudicat J. H ä u s e r *Quintilian und Rudolf Agricola. Eine paedagogische Studie. Programm Günzberg 1910*: „*die Summe aller Bestrebungen des Altertums auf dem Gebiete der „Erziehung und Geistesbildung liegt uns in Quintilians Institutio Oratoria „vor*") in aliud tempus differre praestat (cf. supra p. 119 n. 1).

2) O. Willmann *Didaktik* II^3 § 77 (p. 317).

3) O. Willmann *Aristoteles als Paedagog und Didaktiker* p. 79: „*der Ternar ist aber schon Platonisch.*"

redderem operam dedi. „Habes meum iudicium; quod aut sequere, si probaveris, aut tuo stabis, si aliud quoddam est tuum" [1]. Quodsi sententiam meam de sophistis Graeciae praeceptoribus non omnibus probare potui, tamen quibus praesertim rebus valuerint quidve voluerint nostra disquisitione paulo clarius effulgere lectorem spero haud negaturum.

---

1) Cic. *Orat.* 71, 237.

THESES.

THESES.

I.

Sophistae, inter philosophos vix numerandi, in historia paedagogiae praecipuum obtinent locum.

II.

Sophistae antiquam antithesin inter φύσιν et νόμον per synthesin solvere conati sunt.

III.

Verba Philodemi (*de piet.* 9,7: Diels II^3 274,26 = 571^2) testimonio sunt Prodicum cum res utiles tum inventores earum rerum pro dis habuisse (cf p. 38).

IV.

In *Nubibus* fabula sophisticae praesertim institutionis methodum illusit comicus.

V.

Protagoras, discrimen inter δίκην et ἀρετὴν statuens (cf p. 80), summopere favebat institutis imperii popularis.

VI.

S o p h o c l e m *Aiacis* versu 1297 respexisse fabulam Euripideam quae *Cressae* inscribitur comprobari non potest (v. Wilamowitz *Anal. Eur.* p. 255).

VII.

Ex Epiparodi forma chorum in *Aiace* duodenarium fuisse apparet.

VIII.

T h u c. VII 86, 5:

καὶ ὁ μὲν (sc. Nicias) τοιαύτῃ ἢ ὅτι ἐγγύτατα τούτων αἰτίᾳ ἐτεθνήκειν, ἥκιστα δὴ ἄξιος ὢν τῶν γ' ἐπ' ἐμοῦ Ἑλλήνων ἐς τοῦτο δυστυχίας ἀφικέσθαι δ ι ὰ τ ὴ ν π ᾶ σ α ν ἐ ς ἀ ρ ε τ ὴ ν ν ε ν ο μ ι σ μ έ ν η ν ἐ π ι τ ή δ ε υ σ ι ν.

Locum plerique editores perperam interpretati sunt; verba ἐς ἀρετὴν νενομισμένην arcte cohaerent.

IX.

Vespae fabula ab ipso Aristophane docta est.

X.

Titulus apud Dittenberger *Sylloge Inscr. Graec.*[2] II 842 populiscitum est quo confirmatur manumissio *per testamentum* facta.

XI.

Nihil impedit quominus Cleagoram ἐνοίκια pinxisse putemus (X e n. *Anab.* VII 8, 1).

XII.

P l a u t i *Bacch.* v. 150, a plerisque editoribus expunctus, sine dubio genuinus est.

XIII.

Plauti. *Bacch.* v. 191:
Quia, si illa inventast quam ille amat [vivit] recte [et] valet.
Vocabula uncinis inclusa eicienda sunt.

XIV.

Ad Propert. I 8, 43:
Nunc mihi summa licet contingere sidera *plantis.*
Cum v.cl. Hartman (de *Horatio Poeta* p. 136), quem secutus est v.d. Enk (diss. p. 31) pro 'plantis' legere 'palmis' nolim.

XV.

Ad Hor. *Sat.* I 3, 6 sq.:
[si conlibuisset, — citaret] modo summa
voce, modo hac, resonat quae chordis quattuor ima.
Versum recte interpretatus est Porphyrio (licet omnes fere recentiores interpretes aliter censeant) sic: „modo clara voce modo pressa."

XVI.

Ex iis quae Gudeman in prolegomenis Taciti *Dialogi de Oratoribus* dicit (p. 11—14) probari non potest Eumenium saec. III exeunte manuscriptum quoddam Taciti operum minorum ante oculos habuisse.

XVII.

Addubitanda non sunt quae tradit Livius (VI 35, 5) de lege agraria inter leges Licinias Sextias numerata.

XVIII.

Eventus rerum post Gracchorum tempora docet quam sit periculosum magistratus pretia victibus constituere.

XIX.

Recte v. d. Bosselaar (in diss. *Quo modo Sallustius Historiam Belli Iugurthini conscripserit)* Marium *tres* aestates in Numidia cum imperio fuisse perhibet.

XX.

C. I. L. X 1074 (Dessau 5053) sepulcralis non est titulus sed honorarius, quem Clodia A. f. Sacerdos Cereris in monumento quod viva posuit sibi suisque inscripsit.

XXI.

Erravit Suetonius (*Vit. Gai* c. 14) perhibens Artabanum Parthorum regem post Tiberii mortem demum amicitiam Romanorum petiisse Caesarumque imagines adoravisse.

XXII.

Cassius Dio qui (LVIII 28, 2) die XXVI mensis Martii Tiberium obiisse tradit eo in errorem inductus est quod diem quo Gaius urbem ingressus est pro die imperii accepit.

XXIII.

De voordeelen van een op later leeftijd begonnen 4-jarige klassieke opleiding wegen verreweg op tegen de nadeelen daarvan.

XXIV.

Het door de Staatscommissie voor de Reorganisatie van het Onderwijs voorgestelde Koninklijk Besluit tot Regeling van de paedagogische opleiding van leeraren bij het voorbereidend-hooger (lees: middelbaar) onderwijs (Rapport I p. 681) behoort, los van de te wachten hervorming van ons middelbaar onderwijs, ten spoedigste te worden ingevoerd.

XXV.

Oprichting van leerstoelen in de Paedagogiek aan onze Universiteiten is een dringende eisch des tijds.

In Libris Sapientia